



Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/tractatuscanonic0000anto

ANTONIUS VISCONT
DOCTOR PHILOSOPHIAE, THEOLOGIAE ET JURIS CANONICI
LICENTIATUS SCIENTIARUM POLITICARUM ET SOCIALIUM

TRACTATUS CANONICUS

DE MATRIMONIO RATO ET NON CONSUMMATO

CUM SPECIMINIBUS CAUSARUM

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY



PROSTAT APUD
JUS PONTIFICIUM
PIAZZA SS. APOSTOLI 51
ROMA
ET APUD INSIGNIORES BIBLIOPOLAS

IMPRIMATUR

Romae, 4 Augusti 1928

† *Josephus Palica,* Ep. Tit. Philippen., Vicesgerens

Omnia iura proprietatis vindicabuntur

Romae - Ex Off. Typogr. Rom. « Buona Stampa » 1928

PIO · XI

PONTIFICI · MAXIMO

FAVSTO · RECVRRENTE · L · ANNO

EX · QVO

AGNVM · IMMACVLATVM

IN · ARA · SALVTIFERA

PRIMO · LITAVIT

TENVISSIMVM · HOC · OPVSCVLVM

FIDEI · REVERENTIAE · PIETATIS · PIGNVS

D · D

AVCTOR

VETERIS · BENEVOLENTIAE · MEMOR

ID · AVG · MCMXXVIII

H898

PRAEFATIO

Nostris temporibus maiore quam quandocumque numero causae dispensationis super matrimonio rato et non consummato agitantur. Non pauci sacerdotes rogarunt nos, ut aliquot specimina huiusmodi causarum, in quibus Summus Pontifex dispensationem concessisset, publici iuris faceremus. Nihil nobis visum est obstare, quominus ex animo fraternae utilitati huiusmodi operam, horis subsecivis, pro modulo nostro impenderemus. Nonnullas itaque selectas causas in lucem edendas statuimus, mutatis tamen personarum et locorum nominibus propter rationes, quae facile intelliguntur.

Praeterea censuimus non abs re fore, si praefatis speciminibus causarum, aliquot capita doctrinae quae ad rem facerent, ipsaeque *Regulae servandae in processibus super matrimonio rato et non consummato,* a S. Congregatione de disciplina Sacramentorum die 7 maii 1923 una cum decreto *Catholica doctrina* editae, praemitterentur.

In conscribendis capitibus quae doctrinam spectant auctoribus probatissimis usi sumus et si quae ab iis ita tractata viderimus, ut nec melius nec brevius dici posse arbitraremur, ea ad verbum, ut aiunt, descripsimus.

Si quid falsi aut obscuri in hoc opusculo occurrat, illud benignus lector non malae voluntati auctoris adscribat, potius

vero ingenii tenuitati et inconsiderantiae. Quidquid vero laude dignum videbitur, Beatissimae atque Immaculatae Virginis Mariae pio tribuat interventui et S. Casimiri quos regio nostra amantissimos patronos se habere gaudet et gloriatur.

Vilnaea, die 13 iunii 1928.

A. Viscont.

PARS PRIMA

SUMMARIUM DOCTRINALE

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

CAPUT I.

Prolegomena de matrimonio rato et non consummato.

§ 1.

Notae historicae.

Iuxta doctrinam in sic dicta *copulatheoria,* quae ortum ab Hincmario, archiepiscopo Rhemensi († 882) ducit, propugnatam, matrimonium solo consensu per verba de praesenti initum, non est nisi initiatum, solubile variis ex causis (votum castitatis, captivitas, cognatio spiritualis vel affinitas superveniens et etiam, iuxta plures, subsequens matrimonium consummatum), et non evadit verum perfectumve nisi accedente copula coniugum carnali, ex qua sola accipit rationem sacramenti ac indissolubilitatem, quaque Christi cum Ecclesia unio, quam Christus per Incarnationem cum ea iniit, significatur. Schola Bononiensis praecipue doctrinam hanc propugnabat, eamque, salva aliqua restrictione, retulit Gratianus in suo *Decreto,* quaest. 2, c. XXVII. Copulatheoriam impugnarunt alii, praesertim Petrus Lombardus cum Schola Parisiensi, qui docebant matrimonium per verba de praesenti esse matrimonium perfectum, inter christianos sacramentale et absolute indissolubile. Alexander III (1159-1181), qui, dum erat Magister Rolandus, copulatheoriae cum Schola Bononiensi adhaeserat, postquam ad Summum Pontificatum fuit evectus, coepit mediam quandam inter utramque Scholam sequi viam: ex una nempe parte matrimonio non consummato rationem tribuendo veri coniugii et sacramenti,

ex alia autem parte ipsi denegando absolutam, quam Schola Parisiensis urgebat, indissolubilitatem. Ex una parte, contra Scholam Bononiensem, decernit, cap. 3, X, IV, 4, matrimonium non consummatum per subsequens matrimonium consummatum non dissolvi, ex altera parte, contra Scholam Parisiensem, statuit matrimonium, copula coniugali non consummatum, posse dissolvi ex causa voti, vel supervenientis affinitatis, saltem publicae. Caeteroquin, explicite Pontifex declarat indissolubilitatem, de qua Christus loquitur in Evangelio, soli matrimonio per copulam coniugalem consummato applicari. Porro, ex ratione agendi Romanorum Pontificum Alexandri III et Innocentii III (1198-1216) apparet matrimonium ratum, quoad eiusdem dissolubilitatem, potestati Ecclesiae subiacere eique competere ius ampliandi, pro opportunitate, vel restringendi solutionis huiusmodi vinculi causas vel, aliis verbis, dispensandi. Sub exordio saeculi XV citantur actus R. Pontificum, uti Martini V (1417-1431) et Eugenii IV (1431-1447), qui hanc potestatem exercent; saeculo autem XVI, saepius Ecclesia ista potestate utitur et sensim sine sensu invaluit disciplina, iuxta quam R. Pontifex matrimonium non consummatum solvit per legem generalem in favorem solemnis professionis religiosae et in casibus particularibus propter causas in specie probatas (Can. 1119 C. I. C.). Per dispensationem istam, lato sensu sumptam, R. Pontifex qua Vicarius Christi, propter iustas causas, directe concedit gratiam solutionis vinculi matrimonii rati, unde consequenter lex divina de ligamine, sublata materia, non amplius urget (Aloysius De Smet, *De sponsalibus et matrimonio*, 1923, n. 332; Franciscus Xav. Wernz S. I., *Ius Decretalium*, tomus IV, *Ius matrimoniale Eccl. Catholicae*, n. 696-698). Benedictus XIV, in universali constitutione « Dei miseratione » diei 3 novembris 1741 ordinavit modum procedendi in causis dispensationis super matrimonio rato. Hodie in instruendis processibus in huiusmodi causis, praeter praescripta Codicis Iuris Canonici, servandae sunt *Regulae* a S. Congregat. de Sacramentis die 7 maii 1923 una cum decreto *Doctrina Catholica* editae.

§ 2.

Ambitus pontificiae potestatis.

Ambitus Pontificiae potestatis quoad matrimonium ratum et non consummatum definitur Can. 1119 C. I. C. prout sequitur: « Matrimonium non consummatum inter baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam dissolvitur tum ipso iure per solemnem professionem religiosam, tum per dispensationem a Sede Apostolica ex iusta causa concessam, utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera sit invita ».

Cum matrimonium copula tantummodo coniugali consummari possit, copula matrimonium validum antecedens a partibus forte habita in hac quaestione nihil iuridice refert.

Potestas Pontificia, de qua in can. 1119, comprehendit matrimonium non consummatum non solum inter baptizatos catholicos initum, sed etiam inter baptizatos quoscumque.

Praeterea, potestas ista extenditur ad matrimonium non consummatum inter partem baptizatam et partem non baptizatam, sive matrimonium cum dispensatione super impedimento disparitatis cultus, iuxta ritum ab Ecclesia praescriptum, sive forma Ecclesiae non servata sit celebratum.

Deinde, potestas ista complectitur matrimonium non consummatum legitimum, seu inter non baptizatos initum, modo alterutra pars nunc sit baptizata et sic per baptismum facta Ecclesiae subdita.

Denique, potestate hac Pontificia comprehendi dicendum est matrimonium in infidelitate valide contractum et consummatum, sed post baptismum utriusque coniugis *denuo* non consummatum, nam huiusmodi matrimonium per baptismum utriusque coniugis factum est verum matrimonii sacramentum, sed qua sacramentum post susceptum baptisma est matrimonium ratum tantum, donec nova superveniat consummatio.

§ 3.

Causae ad dispensandum.

Ut potestas Pontificia dispensandi super matrimonio rato et non consummato rite exerceri possit, requiritur iusta causa. Sed utrum causa ista requiratur, ut solutio vinculi matrimonialis sit valida, an potius ut licita sit tantum, controvertitur (Cappello, *Tractatus Canonico-moralis de Sacramentis iuxta Codicem Iuris Canonici*, vol. III, De Matrimonio, n. 762). Optimae notae auctores requirunt iustam causam pro valore solutionis vinculi, quia R. Pontifex exercet in casu potestatem non in materia legis ecclesiasticae, sed in materia legis divinae, qua Vicarius Christi. Sed pro opinione contraria citari potest exemplum dispensationis ab Alexandro VI (1492-1503) concessae (Pastor, *Storia dei Papi*, vol. III, p. 345, cfr. Wernz-Vidal, *Ius Canonicum*, tomus V, *Ius matrimoniale*, n. 624, in nota), quae tamen postea non fuit declarata invalida. At unum factum non videtur posse evertere principium. Praeterea certum est causas heic requiri graves, quia de vinculo non iuris humani, sed divini dissolvendo agitur.

Iuxta antiquam, uti vidimus, hodiedum servatam Ecclesiae disciplinam, vinculum matrimonii rati et non consummati R. Pontifex solvit per legem generalem propter causam pro universitate casuum ipso iure expressam, scilicet solemnem professionem religiosam, et in casibus particularibus propter causas in specie probatas.

Matrimonium ratum et non consummatum solvitur per solemnem professionem religiosam ipso iure, quin aliqua declaratio seu positivus actus requiratur. Et tunc ad solutionem huiusmodi matrimonii requiritur: 1) professio et quidem 2) valida (adeoque non sufficit ingressus in religionem aut habitus religiosi susceptio) et 3) solemnis, etsi nihil obstet, quominus R. Pontifex vim solvendi matrimonii non consummati professioni votorum simplicium adnectat.

Applicatio huius sanctionis iuris communis erit potius rara propter triennium votorum simplicium, ex dispositione ca-

nonis 574 C. I. C., professioni solemni praemittendum atque propter constitutum (can. 542) impedimentum pro valido ingressu in religionem in iis qui vinculo matrimonii etsi rati tantum detinentur.

Causae vero pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casibus particularibus elargienda enumerari solent sequentes: 1) impotentia dubia vel dubie antecedens vel dubie perpetua ac aegre curanda, quae ad declarandam matrimonii nullitatem ex capite impotentiae non sufficiat; 2) impotentia aut alia infirmitas superveniens, quae usum matrimonii impediat; 3) semiplena probatio defectus consensus aut alicuius impedimenti dirimentis; 4) voluntaria et nimis protracta dilatio consummationis per alterum coniugem; 5) animorum dissociatio, quin spes reconciliationis affulgeat; 6) periculum perversionis, ut si quae pars cum hae retico contraxisset; 7) divortium civile ab altera parte obtentum, praesertim cum civilis matrimonii celebratione (Thomas Sanchez, *De sancto matrimonii Sacramento disputationum tomi tres*, lib. II, disp. XVI; Manselia, *De impedimentis matrimonium dirimentibus ac de processu iudiciali in causis matrimonialibus*, Romae, 1881, p. 344-347). Praeterea De Smet, in op. cit. n. 330, animadvertit: « Caeterum eo ipso quod instantia in dissolutionem inducitur a coniugibus, vel alterutro eorum, passim merito iam supponitur causam adesse gravem, adeo ut practice non sit timenda precum repulsio ex solo capite deficientis causae proportionatae ».

Nota. — Iuxta can. 1119 C. I. C., matrimonium non consummatum solvitur per dispensationem Pontificiam ex iusta causa concessam « utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera pars sit invita ». Sed utrum tale matrimonium solvi possit utroque coniuge invito, controvertitur, etsi ex can. 1973 ius petendi solutionem solis coniugibus competat. Nobis cum P. Cappello (op. cit. n. 756) videtur exercitium huius potestatis in tali casu, iusta causa postulante, R. Pontifici denegari non posse, etsi alii aliter (De Smet, op. cit., n. 331, in nota; Wernz-Vidal, op. cit., n. 624, in nota 37).

CAPUT II.

Notio consummationis matrimonii.

In Codice Iuris Canonici « Matrimonium baptizatorum validum dicitur *ratum*, si nondum consummatione completum est; *ratum et consummatum*, si inter coniuges locum habuerit coniugalis actus, ad quem natura sua ordinatur contractus matrimonialis et quo coniuges fiunt una caro » (can. 1015 § 1). Sed quinam est actus quo coniuges fiant una caro et ad quem natura sua ordinatur contractus matrimonialis?

Cum finis sit qui determinat indolem et mensuram mediorum ad ipsum assequendum, pauca de matrimonii fine in memoriam revocabimus, postea dicemus de organis et oeconomia procreationis hominis et tunc studebimus pressius determinare, in quonam consistat matrimonii consummatio.

§ 1.

De fine matrimonii.

Inter fines operis distinguimus finem primarium et fines secundarios. Finis alicuius operis primarius est ille cui assequendo prae caeteris necessarium est opus. Fines vero secundarii essentialiter subordinati sunt fini primario et ita quidem, ut eorum assecutio non sit possibilis, nisi in opere ad finem primarium assequendum ordinato. Finis operis seu intrinsecus idem est ac obiectum actus. Finis operantis seu extrinsecus ille est quem agens sibi proponit. Finis operis et operantis interdum recidunt in idem, ex. gr. uti curru ad vehendum; interdum superadduntur, ex. gr. uti curru, ut veharis ad ostentationem (Nicol. Sebastiani, *Summarium Theologiae Moralis*. Augustae Taurinorum, 1918, n. 53).

Iuxta Codicem Iuris Canonici, « Matrimonii finis primarius est procreatio atque educatio prolis, secundarius mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae » (can. 1013).

Finis proinde operis seu finis, ad quem ex intentione Creatoris et naturae matrimonium ordinatur seu societas maritalis constituitur, est « procreatio atque educatio prolis »; secundarii autem fines operis « mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae » essentialiter sunt fini primario subordinati. Finis operantis in contrahendo matrimonio conformandus est fini operis primario, scilicet fini procreandae et educandae prolis, saltem negative et non potest a contrahente positive excludi in ipso contractu matrimoniali finis primarius. Inde nulliter contrahit matrimonium qui, excluso fine primario, solos secundarios fines, sedationem scilicet concupiscentiae et mutuum adiutorium intendit. Concupiscentia nihil aliud est, quam appetitus delectationis quae copulae carnali connexa est quaeque hominem excitat, ut securius et efficacius finis matrimonii primarius, generatio scilicet prolis, obtineatur. Mutuum adiutorium fundatur in mutua potestate in corpus alterius, quo fit, ut extra coniugium non obtineatur. Capacitas certorum munerum et officiorum alia et alia est in utroque sexu ex ipsa institutione naturae et mutua obligatio et potestas in corpus alterius contracta a viro et femina, operumque communicatio huic obligationi et potestati innixa, gignit specialem amicitiam stabilem mutuique obsequii et auxilii securitatem (Palmieri, *Tractatus de matrimonio christiano,* Romae, 1880, p. 12). Quod mutuum adiutorium solatiumque. Deo sic disponente et natura, « inveniunt coniuges in intima ad invicem conversatione, ut efficacius procuretur educatio prolis; quatenus exinde iucundior evadat cohabitatio ad prolem informandam necessaria, ac promptiores existant coniuges in sufferendis oneribus vitae communis necnon alacriores in consorti opera ad prolis informationem impendenda » (De Smet, op. cit., n. 83; Martin, *De matrim. et potestate ipsum dirimendi Ecclesiae soli propria*, Lugduni-Parisiis, 1884, I, p. 64, cit. apud De Smet, ibid.). Non licet istos duos fines matrimonii secundarios persequi nisi subordinate ad finem eius primarium et ita quidem, ut omnes, qui sunt incapaces actus de se apti ad generationem, a matrimonio valide contrahendo excludantur. Ex. gr., matrimonium potest pro-

curare etiam spadonibus vel eunuchis concupiscentiae sedationem et mutuum adiutorium, tamen inhabiles ad matrimonium ineundum ab Ecclesia, in constitutione Sixti V, *Cum frequenter,* diei 22 Iunii 1587, declarantur.

Ex quibus sequitur posse valide contrahere et per consequens consummare matrimonium omnes et illos solos qui per se habent capacitatem generandi, scilicet organa necessaria ad generationem.

§ 2.

Organa et oeconomia procreationis hominis.

A. Organa generationis ex parte viri sunt:

1) Gemini *testes* seu *testiculi* sunt bina corpora, forma fere ovali, quae continentur in bursa, quae anatomice *scrotum* vocatur; sunt verae glandulae in quibus sperma seu semen virile, continens spermatozoa seu nemaspermata, elaboratur; praeterea, glandulae istae sunt fontes secretionis interioris, quae sanguine miscetur et cui signa virilitatis (barba, pili, vox masculina) et vis alendi (per sic dictos « hormones ») appetitum sexualem tribuuntur.

2) Bini *canales deferentes,* qui a testibus per abdomen et prostatam in uretram seu canalem uretralem, per quem omittitur sperma et urina, confluunt tanquam canales iaculatorii; ad eos autem secretio testiculorum deducitur per *epididymum* seu canalem saepius replicatum, ita, ut, sub pelle exteriore, quasi interior testiculorum tunica esse videatur.

3) *Vesiculae seminariae* binae, quae inter intestinum rectum et vesicam urinariam iacent, sunt bina organa cuiusdam secretionis, quae simul cum secretione ex extremo vase deferente, ex prostata et fortasse ex glandulis Littre et Cowper, fluxum ex testibus comitatur. A quibusdam (Antonelli, op. cit. I, n. 190) vesiculae seminariae considerantur velut loca ad colligendum semen, dum paulatim conficitur, donec emittatur.

4) *Prostata*, quae est glandula, sita ante intestinum re-

ctum, sub vesica urinaria et vesciculis seminariis: ductus iaculatorii et uretra transeunt per eam.

5) Membrum virile (penis, virga, virgula, mentula, veretrum), est organum copulae, quod situm est in parte anteriore et inferiore pubis. Constituitur duabus partibus cylindricis, inter se coniunctis, quae corpora cavernosa dicuntur sub quibusque adest *uretra*, quae communicat cum vesiculis seminariis et cum vesicula urinaria. Corpora cavernosa structuram habent spongiae idest plurimas areolas seu cavitates parvas, ad instar spongiae communis, quae, cum replentur sanguine, producunt illorum turgorem ac ideo erectionem penis. Extremam membri partem tenet *glans*, valde excitabilis, quae *praeputio*, scilicet quodam involucro seu calyptra, minime glandi adhaerente, tegitur. Sub praeputio, ad radicem seu coronam glandis, ex glandulis sebosis et cellulis, quae ab epithelio glandis continuo decidunt, colligitur sic dictum *smegma praeputii*, quod apud plures aliquando amovendum est, ne fetidum fiat vel etiam ad mansturbationem impellat.

B. Muliebria organa generationis sunt sequentia:

1) *Vulva*, quo nomine veniunt externae partes genitalium mulieris, quae praecipuae sunt: *a*) *magna* (*maiora*) *labia*, quae sunt binae plicae pellis exterioris quaeque solae exterius cernuntur; *b*) *parva* (*minora*) *labia* seu nymphae, quae sunt binae parvae plicae, sitae inter labia maiora, ubi smegma eiusdem rationis ac smegma praeputii, frequenter auferendum, producitur; *c*) clytoris, quae potest considerari velut penis minimus sine uretra; eius officium est augere voluptatem copulae; delectabiliter erigitur; *d*) *meatus urinarius* est os, per quod emittitur urina; per uretram communicat cum vesicula urinaria.

2) *Vagina* (cunnus, sinus pudoris, vas femineum, vas debitum), quae iacet inter vesiculam urinariam et intestinum rectum, constat tribus involucris, formam habet fere cylindricam et perietes adeo elasticas et contiguas, ut semper sit clausa. Ostium vaginae apud virgines regulariter operitur membrana, aliquando perforata, aliquando imperforata, quae hymen vocatur, quaeque dimidiam lunam figura sua

imitari solet. In vagina sunt glandulae Bertolini, quae in actu valde vehementi, liquorem emittunt satis similem liquoris emissi a viro in seminatione: emissio ista est pollutio feminea quae olim seminatio feminae putabatur. Vagina est organum copulae mulieris officiumque habet recipiendi membrum virile in coitu, expellendi fetum, secretiones uterinas et menstrua.

3) *Uterus* seu *matrix, quae,* inter vesiculam urinariam et intestinum rectum sita, parvae lagenae satis similis, parte inferiore, quae collum dicitur, in vaginam quasi inseritur, dum pars superior, seu corpus uteri, formam triangularem habet. In medio collo, cuius pars inferior *musus tincae* appellatur, est parvum os, quo uterus cum vagina communicat. Uterus est locus physiologicus evolutionis ovuli fecundati.

4) *Tubae fallopianae* (gallice *trompes de Fallop*) seu oviductus, qui sunt bini canales inter ovaria et eorum ligamina; communicant cum utero per sic dictum *ostium uterinum;* eorum officium est recipiendi statuto tempore, ovulum ex ovariis et in matricem seu cavitatem uteri perducere.

5) *Ovaria* seu testes muliebres sunt binae glandulae, quarum altera invenitur ad dexteram, altera ad sinistram partem uteri. Ovariorum officium est conficere ovum vel ovulum, ex quo, post fecundationem, modo prorsus admirabili, novus producitur homo. Oviductus ovariis non iugiter applicantur; desinunt vero in quoddam genus conchae seu extremae tubae (*pavillon de la trompe*) quae tempore, quo ovula matura ex sic dictis vesiculis Graaf ab ovariis decidunt, ad ovaria aptatur ut recipiat ovula quae subinde versus uterum per tubam fallopianam ducuntur. Tempus istud fere singulis mensibus recurrit. Cum nulla fecundatio habita est, ovula per vaginam, simul cum guttatim manante sanguine, emittuntur: qui *fluxus menstruus* dicitur.

6) *Mammae* seu *ubera*, quae lacte producendo et dando insorviunt (Antonelli, op. cit., I, n. 184-200; Arthurus Vermeersch, e S. I., *De castitate et de vitiis contrariis tractatus doctrinalis et moralis.* Editio altera. Romae et Brugis, n. 7-8).

Oeconomiam procreationis hominis quod attinet, inest hominibus, quam appetitum sexualem vocamus, ut ait P. Ver-

meersch, « propensio qua homo in persona alterius sexus socium et adiutorem amat et quaerit operationis carnalis quam natura propter generationem principaliter instituit » (Vermeersch, op. cit., n. 11). Cuius appetitus expletio fit per physicam coniunctionem seu copulam carnalem, qua vir turgidum adeoque erectum penem in mulieris vaginam introducit et in ipsa aestus resolutione semen ibi emittit. In femina hoc tempore collum uteri seu matricis, spasmice sese contrahendo, aperitur et clauditur et paulo inferius descendit, ut facilius semen hauriat. Copula peracta nemaspermata seu spermatozoida, spontaneo, vitali motu, intimius penetrant corpus mulieris. Ex alia autem parte descendit e penetralibus mulieris ovulum, procedens ab ovariis. Si nemasperma offendit in ovulum, fecundatum evadit ovulum, ex quo, uti diximus, modo prorsus admirabili, novus producitur homo. Fecundatio consistit in penetratione nemaspermatis, qua elementi activi, in ovulum, qua elementum passivum, et in commixtione substantiae nemaspermatis cum substantia ovuli. Fecundatio locum habere potest in ovariis, in tubis fallopianis et vix aliqua probabilitate in cavitate uteri (Antonelli, op. cit., I, n. 211-216); sed uterus, uti diximus, est locus physiologicus evolutionis ovuli fecundati.

§ 3.

In quonam praecise consistit matrimonii consummatio.

Cum iuxta superius dicta, finis matrimonii primarius sit propagatio generis humani cumque prolis procreatio vi ipsius, quae a natura inest homini, propensionis fiat per copulam carnalem, matrimonium consummari dicendum est per copulam carnalem et eam quidem tantum quae natura sua, ex se, per se, apta sit ad generationem.

Talis copula duo importat elementa constitutiva:

1) perforationem vaginae mulieris per erectum membrum virile naturali modo factam et 2) effusionem veri seminis intra eamdem vaginam; quorum si alterum desit, co-

pula perfecta in sensu iuris non habetur et matrimonium non consummatur.

Si vir coierit, et dubitat, utrum et an intra vaginam seminaverit, copula praesumitur perfecta. Perforatio vaginae non necessario completa, sed ea certe, pro consummatione matrimonii requiritur et sufficit, qua effusio seminis virilis fiat intra vaginam. Talis perforatio sufficit, quia nemaspermata motu vitali corpus mulieris intimius penetrant quoties intra vaginam inveniuntur. Requiritur autem penis penetratio in vaginam seminatioque intra eandem et non sufficit seminis ad orificium vaginae depositio, licet, ob migrationem motu vitali in corpus mulieris nemaspermatum, conceptio prolis *aliquando* exinde sequatur, quia non potest pro regula sumi quod nonnisi raro et fortuito seu per accidens evenit. Ita S. Romana Rota duplici conformi sententia, in causa Parisiensi, die 17 augusti 1920, et die 3 augusti 1921, definivit matrimonium, ob impotentiam viri, non fuisse consummatum, licet factum conceptionis extra controversiam esset ex ipsius actricis confessione et testium depositionibus (*S. Romanae Rotae decisiones seu sententiae*, vol. XII, an. 1927, Decisio XXV). Exinde patet non consummari matrimonium per copulam onanisticam, nempe copulam habitam in vase debito, sed cum retractu completo ante seminationem, semine effuso extra vas, vel etiam per copulam in vase debito habitam et absque retractu, sed adhibito vario artificio, ut fecundatio impediatur, ex. gr. ope *pallioli anglici* (vulgo *condom*), quod consistit tenui quodam involucro quo induitur penis et intra quod semen recipitur; aut ope pseudo-vaginae, disposita scilicet in vagina subtili membrana in quam semen emittitur quaeque post copulam peractam cum semine excepto extrahitur. Sed matrimonii consummationi non obstaret usus artificii adhibiti ad sterilizandum vel expellendum semen rite introductum (De Smet, op. cit. n. 157 et 239).

Quoad semen virile, quod a testibus elaboratur, non requiritur ut sit prolificum, adeoque semen senile vel iuvenile, in quo spermatozoida desunt aut languescunt, sufficiens ad copulam coniugalem constituit elementum, cum eiusdem ra-

tionis seu naturae sit sum vero semine fecundo, utpote in suis organis naturalibus, nempe in testiculis, elaborato (Gasparri, *Tractatus canonicus de matrimonio,* vol. II, n. 562). Hoc ex capite spadones et eunuchi, qui venere magis agitantur quam caeteri homines, possunt penem erigere, vaginam mulieris penetrare, in eaque humorem prostaticum aut cowperianum effundere, matrimonium consummare non valent, quia, uti testiculis carentes, verum semen virile non habent (S. R. Rota, in causa *null. matrim.* coram R. P. D. Petro Rossetti, die 29 iulii 1920, Op. cit. Decisio XXIII, n. 6). Iis, hoc sub respectu aequiparandi sunt passi vasectomiam, quae consistit in hoc quod minima pars utriusque canalis semen a testiculis elaboratum ad vesiculas seminarias et penem deferentis abscinditur et ita semini via ad eiaculationem abrumpitur. Cum media ad restaurationem canalium deferentium necessaria inter media extraordinaria recensenda sint cumque exitus nonnisi dubius exinde sperari possit, impotentia ad matrimonium consummandum in vasectomiam passis potius perpetua dicenda est. Vasectomiam passis aequiparandi sunt qui canales deferentes, propter morbos, occlusos habent et semen in vaginam mulieris eiaculare non possunt (S. R. R. ibid. n. 11).

§ 4.

De fecundatione artificiali.

Duplex fecundatio artificialis distingui solet: sensu nempe strictiori et sensu latiori.

Fecundatio artificialis stricto sensu sumpta mediis exercetur sequentibus:

1) Vir copulam habet cum muliere, sed imminente seminatione se retrahit et semen in aliquo vase collectum ipse vel medicus in cavitatem uteri mulieris introducit; mulier postea per 24 horas supina in lecto remanet, ut progressus nemaspermatum facilior reddatur;

2) Vir coit cum muliere mediante involucro, seu palliole, cui nomen *condom,* quodque membrum virile tegit ita,

ut aliquid spatii sit inter involucrum et glandem penis; semen hoc modo eiaculatum, peracta copula, per incisionem pallioli, in parvo synphunculo vitreo, antea calefacto, colligitur et ab ipso viro vel a medico introducitur in cavitatem uteri;

3) sine ulla copulatione, nemaspermata ex epididymo extrahuntur, ac deinde in mulieris vaginam et uterum introducuntur.

Fecundatio artificialis sensu latiori seu improprie dicta fit modo sequenti:

1) Vir aut medicus utitur aliquo instrumento, sive ut vaginam dilatet, sive ut uterum in naturali positione collocet; quo facto copula carnalis more consueto perficitur;

2) In coeundo modo ordinario et naturali, peracta iaculatione, in vaginam parvum instrumentum metallicum introducitur, cuius ope semen iaculatum ab ipso viro vel a medico colligitur et in cavitatem uteri introducitur (Antonelli, op. cit., II, n. 858; Felix M. Cappello S. I.: *Tractatus canonico-moralis de Sacramentis*. Vol. III. *De matrimonio*, n. 382).

Cum fecundatio, iuxta naturae institutionem, actu vitali, per copulam scilicet coniugalem peragi debeat, fecundatione artificiali proprie dicta matrimonium non consummatur, conceptione prolis exinde secuta non obstante (Gasparri, op. cit., II, n. 1302). Praeterea, fecundatio artificialis proprie dicta illicita est et damnata a S. C. S. Officii die 24 martii 1897, quam sententiam S. Pontifex die 26 aprilis eiusdem anni confirmavit.

Fecundatio vero artificialis improprie dicta matrimonium consummat, quia perficitur copula carnali naturali.

CAPUT. III.

De impotentia ad copulam coniugalem.

§ 1.

Notio impotentiae.

Impotens communiter dicitur persona quae copulae de se aptae ad generationem inhabilis est. Quoad requisita ex parte viri pro tali copula sufficienter diximus in § 3 cap. praeced.; casus vero impotentiae allegabimus infra. Doctores in hac re hodie satis conveniunt. Mulierem vero quod attinet, triplex hodie datur sententia quoad impotentiae notionem.

Iuxta sententiam, cuius antesignanus est Iosephus Antonelli, sacerdos, naturalium scientiarum doctor ac professor, mulier impotens est non solum quae ad recipiendum penem erectum vaginam aptam non habet, sed etiam quae organis ad concipiendam prolem requisitis caret. Talis est mulier, cui a natura desunt ovaria, vel uterus, vel utraque simul, vel quae iisdem orbata est per operationem, quam a medico P. Porro, papiensi, dicunt porrensem quaeque fit per laparatomiam seu gastrotomiam; in hac operatione chirurgus, aperit ventrem mulieris, ovaria nec non uterum abscindit et aufert. Hisce organis privata mulier necessario inhabilis ad generandum evadit, quia orbata ovariis non amplius ovulum femineum confícere valet, deficiente autem utero locus physiologicus evolutionis foetus deest; etsi occurrunt foetus extrauterini, ii tamen utero deficiente numquam locum habent. Hinc mulier, cui ovaria, vel uterus, vel uterus et ovaria simul desunt, vel cuius vagina adeo arcta est, ut absque salutis corporalis periculo ad copulam apta reddi non possit, dicenda est impotens, quia tali mulieri assecutio finis matrimonii primarii, scil. generatio prolis, ex natura sua necessario impossibilis est. Laudatus auctor impotentiam pro utroque sexu definit: « Impotentia est absoluta et necessaria inhabilitas ad prolem

obtinendam, ob carentiam organorum generationis essentialium vel ob eorum atrophiam vel ob quemcumque alium defectum qui reddit copulam impossibilem, vel *ex natura sua necessario* infecundam » (op. cit., II, n. 537). Si vero ex copula, quam coniuges omnibus necessariis ad generationem organis praediti exercent, generatio *per accidens* non sequitur, habetur casus sterilitatis; ex. gr. quia aciditas muci vulvo-vaginalis nemaspermata occidit, vel quia semen virile non est prolificum, quoniam nemaspermata desunt vel languescunt; vel quia os uteri non in medio axis vaginalis invenitur etc. (op. cit., II, n. 470). Impotentia affectae personae ipso iure naturae a matrimonio arcentur, sterilitas autem minime impedit, quominus matrimonium contrahi consummarique valeat. Mulieres laborantes aliquo defectu, quo per se fiant perpetue inhabiles ad generandum, rarissimae sunt et ideo ius, quod iuxta ordinarie contingentia decernit, in omnibus casibus capacitatem generandi praesumit, donec contrarium probetur. Sententia ista in hodierna litteratura theologica et canonica non paucos eosque egregios patronos habet; uti: I. Bucceroni, *Institutiones Theol. Mor.*, editio 5, vol. II, n. 994; Rosset, *De sacramento matrimonii tractatus dogmaticus, moralis, canonicus, liturgicus et iudiciarius*, t. 3, n. 1408 et seq.; Casacca, *De carentia ovariorum relate ad matrimonium*, Papiae, 1904; Lehmkul, *Theol. mor.*, t. 2, n. 975; Noldin, *De Sacramentis*, n. 557; Wernz, op. cit., n. 345, in nota 34; Santi-Leitner, *Praelectiones iuris can.*, lib. IV, tit. 15, n. 1, in nota; Sebastiani, op. cit., n. 561.

Iuxta secundam sententiam, mulier non est impotens nisi careat vagina quae erectum membrum virile recipere valeat. Ad matrimonium consummandum patroni huius sententiae, pari modo ac fautores sententiae praecedentis, requirunt copulam per se aptam ad generationem, licet generatio per accidens non sequatur, tamen longe aliter eam intelligunt. In generatione humana distinguunt actionem humanam et actionem naturae. Actio humana terminatur penetratione per membrum virile vasis muliebris et effusione veri seminis in eodem vase; postea incipit actio naturae. Impotentia generice

sumpta dividitur in impotentiam coeundi et impotentiam generandi. « Dicimus *impotentiam coeundi* esse inhabilitatem ad copulam qua vir et mulier fiunt *una caro* ex *cap.* 5. *cit. tit.*, seu aliis verbis qua semen virile in vaginam muliebrem ingreditur. Hac copula matrimonium consummatur. Impotentia autem *generandi tantum* est inhabilitas habendi prolem, posita etiam copula supra dicta » (Gasparri, op. cit., II, n. 510). « Revera congruum est, ut contractus humanus, qualis est matrimonium, ordinetur ad actionem humanam, ab ipsis partibus ponendam, ut scilicet vir verum semen modo idoneo mulieri tradat et mulier illud in vase debito recipiat, relinquendo naturae ceteras functiones ad generationem necessarias ». Ita E.mus Gasparri, in opere suo *Tractatus canonicus de matrimonio*, vol. I, n. 580. Actio humana *per se*, seu *secundum communem speciem* actus, est idonea ad generationem, licet forte sit inepta *per accidens* ob defectum scilicet in organis femineis post-vaginalibus et licet defectus iste copulam reddat necessario et absolute infecundam. Hinc mulier carens ovariis et utero non erit impotens, sed sterilis tantum. Huius sententiae antesignanus est E.mus Card. Gasparri, op. cit., I, n. 510-515. Alii eiusdem sententiae patroni sunt: Sebastianelli, *Praelect. iuris can. De Rebus*, n. 65; Ojetti, *Synopsis rerum moralium et iuris pontificii*, vol. 2; Aloysius De Smet, *De sponsalibus et matrimonio, tractatus canonicus et theologicus necnon historicus ac iuridico-civilis*, n. 550-557; Arthurus Vermeersch e S. I., *De castitate et de vitiis contrariis, tractatus doctrinalis et moralis*, n. 60; A. Vermeersch et I. Creusen, *Epitome iuris canonici cum commentariis ad scholas et ad usum privatum*, vol. 2, n. 315; Felix M. Cappello, *Tractatus canonico-moralis de Sacramentis iuxta Codicem iuris canonici*, vol. 3, *De matrimonio*, n. 340-359: Wernz-Vidal, *Jus canonicum*, III, n. 226-229; Prümmer, *Manuale i. c.*, n. 335, R. 2.

Tertia sententia, cuius auctor est R. P. Arendt, asserit carentiam ovariorum et uteri in muliere non constituere impedimentum impotentiae ad matrimonium ineundum, si carentia ista ignoratur; sed si evaserit per se facile cognosci-

bilis, arcet a matrimonio contrahendo ex capite consensus substantialiter vitiati, quia scilicet consensus in finem operis, i. e. generationem, utpote stricte impossibilem, ferri non potest. Detecta autem praefatorum organorum carentia post matrimonium contractum, usum coniugii ob fines secundarios licitum auctor declarat (*Relectio analytica super controversia de impotentia feminea ad generandum. Diatribo pro sanctitate pacti coniugalis,* Romae, 1923). Quae quidem sententia cum media inter primam et secundam via incedat, partim ad primam, partim vero ad secundam sententiam pertinet; ideoque argumenta primae et secundae tantum referemus et quidem breviter.

Primae sententiae argumenta praecipua sunt:

Finis matrimonii primarius est generatio prolis ideoque sponsi, qui matrimonium ineundo hunc finem, sub poena nullitatis contractus, intendere vel saltem positive non excludere debent, ex natura rei organa huic fini assequendo de se apta necessario habeant oportet. Atqui mulier carens ovariis vel utero caret eo ipso organis de se aptis ad finem matrimonii primarium, i. e. generationem prolis, assequendum. Ergo talis mulier est ex natura rei incapax ineundae societatis cuius finis primarius est generatio prolis.

Formalis ratio, propter quam iuxta Constitutionem Sixti V diei 28 iunii 1587, *Cum frequenter*, et iuxta communem theologorum et canonistarum sententiam, eunuchi et spadones ipso iure naturae a matrimonio arcentur, est absentia penes eos organorum quae ad generationem necessaria sunt (« qui utroque teste carent, et ideo certum ac manifestum est, eos verum semen emittere non posse », ait laudata Constitutio). Cum mulier castrata pariter careat organis ad elaborandum ovulum femineum pro generatione necessarium, propter eamdem rationem a matrimonio ineundo ipso iure naturae arceri dicenda est, iuxta regulam: ubi eadem ratio ibi eadem iuris dispositio.

Praeterea, patroni primae sententiae, quae organa physice ad generandum de se apta in utroque sponso requirunt, doctrinam suam iure canonico, sensu unanimi et constanti

theologorum et canonistarum nec non praxi Ecclesiae inniti asserunt.

In iure canonico, quod doctrinam Ecclesiae exprimit, complura sunt capita, in quibus ad cognoscendum, utrum copula possibilis fuerit, nec ne, et an in copula necessaria elementa ad prolem generandam concurrerint, nec ne, adhibentur locutiones, inter se omnino aequivalentes, quae in S. Scriptura significant idem ac generationem tantum, v. gr.: virum cognoscere feminam seu uxorem, carnaliter commisceri cum femina, per carnis copulam unam carnem fieri, subsequi carnalem commixtionem inter marem et feminam, consummare matrimonium etc. (Lib. IV, tit. V, *De condit. apposit.* tit VII, IX, XI, XIII, XIV et toto t. XV, *De frig. et malef*).

Antiquiores theologos et canonistas quod attinet, certum est physiologiam humanam ipsis notam non fuisse. Existentiam ovuli in feminis ignorabant et ideo loqui de eo non poterant.

Plures tamen a femina active aliquid esentiale in conceptione praestari minime ignorabant, quia *commixtionem sanguinum* pro matrimonii consummatione, pro affinitate contrahenda requirebant.

Et ideo principia iuris naturalis et pontificii, clare ab ipsis tradita, sedulo distinguenda sunt a false intellectis factis physiologicis quibus illa applicant. Praeterea, quoad antiquiorum theologorum et canonistarum modum loquendi, notandum est *impotentiam coeundi* ab eis vocari incapacitatem exercendi eam copulam, ex qua sequi possit prolis generatio. Ista impotentia affecti ipso iure naturali a matrimonio arcentur. *Impotentiam* vero *generandi* eam vocant impotentiam, ex qua generatio actualis *per accidens* non sequitur. Haec impotentia nomine sterilitatis venit et minime impedit, quominus matrimonium valide contrahatur. Ita Vitus Pichler (1670-1736): « *Impotentia coeundi* differt ab impotentia generandi; nam prior est inhabilitas ad commixtionem maris et feminae, per quam efficiuntur una caro, seu est inhabilitas ad copulam carnalem perfectam, unde orta est; posterior (alio nomine sterilitas) est inhabilitas ad actualem

generationem prolis, etiam praesupposita copula carnali perfecta, seu commixtione maris et feminae, prout contingit in senibus et sterilibus, sive ex natura, sive ex accidenti steriles sint. Haec posterior impotentia generandi, modo adsit potentia coeundi, non est impedimentum matrimonii » (*Summa iurisprudentiae sacrae universae*, 1723 an., tit. XIV, § 2, n. 18). « Copula perfecta est illa, quae de se apta est ad generationem prolis, licet forte per accidens, ut in sterilibus et senibus etc. impediatur actualis generatio, in quo conveniunt facile omnes ». Pichler, ibid., t. XIII, n. 2). Notandum est auctorem hunc in hac materia primam sententiam sustinere. Ceteros auctores quod spectat, cfr. Antonelli, op. cit., II, 511-534.

Usque ad saec. XVIII, cum Lazarus Spallanzani, Italus, sacerdos (1729-1799), generationis veritatem scientifice ostendit, duae viguerunt sententiae quoad partes quas vir et mulier in conceptione habent. Iuxta sententiam Aristotelis, quae, propter magnam huius philosophi auctoritatem, probabilior censebatur, solum semen masculinum ad generationem sufficit, mulier vero non habet semen quo ad generationem concurrat. Secundum autem Hippocratis (460-377 a. Chr. n.) et Galeni (131-200 p. Chr. n.) sententiam, quae probabilis tantum putabatur, mulier pariter duos testes habet qui sperma producunt; conceptio sequitur ex unione spermatis virilis cum spermate muliebri, quae fit in matrice (*Hippocratis et Galeni opera*. Lutetiae Parisiorum, 1679, tom. V, *De Compagine membrorum*, C. XII et XIII, cit. Antonelli, op. cit., II, n. 428). Antiquiores theologi et canonistae opinionem Aristotelis, qua probabiliorem, generatim amplexi sunt, quia, ubi agitur de valore sacramenti, opinionem probabilem, probabiliore derelicta, sequi non licet. Tamen claram tradunt doctrinam, iuxta quam coniuges fiunt una caro, matrimonium consummant, contrahunt affinitatem per actum quo fiunt principium generationis possibilis, scilicet per copulam aptam ad generationem, per seminum commixtionem, quae possit esse causa generationis. Quoties expresse dicunt hisce in casibus semen ex parte mulieris non requiri, significant simul semen istud

penes mulierem non exsistere vel ad generationem non esse necessarium, falsam opinionem Aristotelis sequentes. Thomas Sanchez, hispanus (1550-1610), qui primus diffuse et rationali methodo de matrimonio egit (*De sancto matrimonii sacramento*, disputationum tomi tres, Venetiis, MDCLXXII, l. 2, disp. 21, n. 10-11) doctrinam hanc clare exponit. « Quaestio II. Utrum censeatur matrimonium consummatum, si solus vir intra vas naturale foeminae seminet? Communis sententia affirmat censeri consummatum, eoque innititur fundamento, quod semen foemineum ad generationem necessarium « non sit », teste Philosopho... : cum ergo copula generationi sufficiens consummet matrimonium, ut late probavi n. 5 et talis sit, ubi vir solus intra vas foemineum seminat, illa consummabit... »... « Sed, quamvis haec sententia communior et probabilior sit, non tamen est adeo certa, ut quidam ex eius defensoribus existimant, cum innititur illi soli principio philosophico, quod semen foemineum non sit necessarium ad generationem, et illud non est certum; quia satis probabiliter multi tenent contrarium, ut Hippocrates et Galenus et multi alii; cum ergo fundamentum non sit certum, ita nec opinio illi innitens... Quare concludo esse probabile non consummari matrimonium, nisi etiam foemina seminet. Probate quia ad matrimonii consummationem requiritur copula ex qua sequi potest generatio,... ut... clare colligitur ex ceteris DD., cum inde probent consummari matrimonium absque foemineo semine, quod non sit ad generationem necessarium, sed probabile est, nisi foemina seminet, non posse ex ea copula sequi generationem, ut probavi; ergo similiter habet eandem probabilitatem non esse consummatum matrimonium viro solo seminante. Item quia est probabile per solam utriusque seminis commixtionem, fieri coniuges unam carnem, ut ex D. Thom., Bonav., Viguerio, statim dicam... et eos concludere ad generationem esse necessariam utriusque seminis commixtionem, unde infero iuxta dicta, esse etiam necessariam ad consummationem ».

Ne uno etsi classico auctore contenti videamur, allegemus Henricum Pirhing (1606-1679): « At non fiunt una caro,

nisi per copulam perfectam et sufficientem ad prolis generationem, qualis est sola illa, in qua semen virile recipitur intra vas femineum, ut constat ex c. *Lex divina*, causa 27, q. 17, etc. Porro, quia, secundum communiorem sententiam medicorum, sola seminatio viri requiritur et sufficit ad generationem prolis, ideo si sola femina seminet, affinitas non contrahitur. Sanchez, l. c. d. 64, n. 22. Quia tamen secundum probabilem sententiam aliorum, etiam semen femineum ad prolis generationem requiritur, ideo probabile est etiam seminationem feminae requiri ad contrahendam affinitatem » (Pirhing, *Iuris canon. method.*, lib. IV, tit XIV, sect. 2, n. 2).

Qui post Sanchezium materiam istam pertractarunt, eum secuti sunt. Illorum textus allegat Antonelli in op. cit. II, n. 458-467.

Auctores Sanchezio anteriores quod attinet, tres tantum allegamus brevitatis causa.

Tancredus, in sua *Summa de matrimonio*, quae inter an. 1210 et 1214 compilata est, in t. I, l. 1, disp. 21, n. 3, habet prout sequitur: « Non est sufficiens ad consummationem si solus vir seminavit, sed requiritur feminae seminatio, quia semen mulieris est necessarium ad generationem, secundum Hippocratem et Galenum. Unde, si absque mulieris semine non potest sequi generatio, nec poterit esse matrimonium consummatum ».

S. Bonaventura (1221-1274): « Affinitas generaliter contrahitur per omnem coitum, in quo est commixtio seminum. Et ratio huius est, quia affinitas non contrahitur, nisi ratione unionis: tunc autem dicuntur una caro fieri, quum per commixtionem seminum fit consummatio illius operis », i. e. generationis prolis (*Opera Omnia*, tom. V, lib. IV, dist. 41, q. 1, c.).

S. Thomas (1226-1274): « Vir et mulier efficiuntur in carnali copula una caro per commixtionem seminum; unde, quantumcumque aliquis claustra pudoris invadat vel frangat, nisi commixtio seminum sequatur non contrahitur ex hoc affinitas » (*Summa Theol.*, 3-iae part., Suppl. q. 55, a. IV, ad 2). Quod vero S. Thomas, sicut S. Bonaventura, per verba

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

« commixtio seminum » intelligat de necessariis ad generationem, ipse testatur: « Dicendum quod concubitus contra naturam non habet commixtionem seminum quae possit esse causa generationis, et ideo ex tali concubitu non causatur affinitas » (ibid. a. III, ad 3).

Doctrinam hanc confirmat praxis Ecclesiae, quae per S. Congregationem Concilii quater invalidum declaravit matrimonium (in causa: *Salernitana,* die 21 mart. 1863; *Verulana,* die 24 ianuar. et 22 ian. 1871; *Albinganensi,* die 7 septembr. 1895, et *Monasteriensi* die 16 decembr. 1899 et d. 10 maii 1900, cfr. Thesaurus Resol. S. C. Concilii, t. 121, 122, 130, 154 et 158 cit. Vermeersch, op. cit. n. 60), propter absentiam in muliere uteri et vaginam plus minus brevem et informem. Quae declarationes, ait Wernz « ex sese maiorem habent auctoritatem, cum a Cardinalibus non ferantur, nisi praehabitis certis probationibus factorum et iuris sive canonici sive divini. Quibus in decisionibus iudicialibus Cardinales S. C. C., quamvis pro more recepto non publicarint motiva suarum declarationum, tamen attentis actis aliisque circumstantiis in causis illis occurrentibus videntur applicasse theoriam iuris supra assertam » (op. cit n. 345, in nota 34). In illis casibus, teste Antonelli (op. cit. II, n. 474, 583) vagina sufficiens erat ad coitum, nullitas vero matrimonii declarata propter impotentiam generandi ob absentiam uteri.

Praeterea, Dataria Apostolica die 19 maii 1908 an. noluit dispensare super impedimento consanguinitatis, in 1° gradu mixto cum 2°, cum oratrice, quae asserebatur utroque ovario, orbata, dispensavit autem postquam constitit unum dumtaxat ovarium fuisse ablatum (Antonelli, op. cit., II, n. 547).

Tandem non censemus praetereunda, quae in libro, cui titulus « Praxis Apostolicarum dispensationum sup. impedim. matrim. secundum reform. formul. Apostolicae Datariae etc. », Romae, 1902, pag. 11, leguntur: « Notandum imprimis est, quoad affinitatem, eam non exoriri nisi ex copula, et ex ea copula, quae sit per se sufficiens ad generandum, qua nempe seminum commixtio seu concursus utriusque seminis ex parte viri et ex parte feminae habeatur. Habita copula, in qua vir

seminaverit, iure praesumitur intervenire concursus utriusque seminis et maris et feminae. Quare tunc semper petenda est dispensatio ab affinitate ibi orta; nisi praesumptio cedere debeat veritati, si mulier ex. gr. perfecte careat utero et ovariis. Semen enim tunc, seu ovulum ad generationem physiologice requisitum ex parte feminae, omnino deest, et consequenter copula tunc non est amplius copula per se sufficiens ad generatione » (cit. apud Antonelli, op. cit., II, n. 547).

Argumenta praecipua secundae sententiae sunt:

1° « Ad matrimonium valide ineundum non requiritur potentia generandi, sed sufficit potentia, coeundi. Atqui mulier carens utero aut ovariis potest copulam coniugalem perficere. Ergo.

2° Finis matrimonii, licet secundarius, est etiam remedium concupiscentiae; porro licitum est inire matrimonium ob hunc finem, dummodo positive non excludatur finis primarius. Sed copula cum muliere praedicta apta est ad concupiscentiam sedandam. Ergo.

3° Matrimonium est contractus qui *natura sua* respicit ordinem externum et socialem quique a competente auctoritate humana (ecclesiastica quoad baptisatos, civili quoad infideles) regulari debet. Proinde cum auctoritas competens diiudicare debeat de existentia, validitate aut invaliditate matrimonii, sequitur impedimenta matrimonii talia esse debere, ut de eorum exsistentia constare possit *regulariter* et ex communiter contingentibus, scil. ut nitantur aliquo facto obvio et regulariter cognoscibili. Hinc est quod Ecclesia semper retinuit et adhuc retinet (cfr. can. 1976 ss.), copulam qua partes fiunt una caro, esse factum externum iuridicis probationibus obnoxium. Quare excludendus est defectus, qui *de via ordinaria* cognosci nequit. Atqui carentia uteri et ovariorum est *natura sua* occulta. Ergo. » (Cappello, op. cit., n. 356).

4° Praeterea, sententia confirmatur tribus responsis S. Congregationis S. Officii et uno responso S. Congregat. de disciplina Sacramentorum.

a) Anno 1887 a S. C. S. Officii quaesitum est: « Num

mulier, cui operatione chirurgica ablata sunt duo ovaria et uterus, admitti possit ad matrimonium contrahendum? ». — Responsum: « matrimonium non esse impediendum ».

b) Anno 1890, iulii die 23, in causa *Quebecen.* quaesitum est: « Se una donna, cui per mano chirurgica siano state asportate ambedue le ovaie e l'utero, possa validamente contrarre matrimonio ». — R.: « Matrimonium non esse impediendum ». (*Codicis Iuris Canonici fontes*, cura E.mi Petri Card. Gasparri editi, vol. IV, n. 1124).

c) Anno 1895, iulii die 31, in c. *Westmonasteriensi*: Qu.: « Utrum puella N., cui ovaria per operationem chirurgicam ablata sunt, quaeque proinde, licet ceteroquin perfecta sit, prolem concipere nequit, matrimonium valide et licite contrahere possit? ». — R.: « Detur responsum ut in Rheginen., scilicet: Iuxta exposita matrimonium in casu non esse impediendum » (*Fontes Iur. Can.*, etc., n. 1174). Ibidem in nota adiectum est: « Eadem S. C. Supremae Inquisit. declaravit (16 Ianuarii 1895) in huiusmodi casibus esse in singuiis recurrendum, cum hucusque responsum non fuerit, nisi pro casibus particularibus ».

d) S. Congr. de disciplina Sacram. simili proposito dubio, die 2 april. 1909 respondit: « Omnibus mature perpensis, Amplitudini Tuae respondendum (scil. S. C. de Sacr.) censuit prout sequitur: quatenus vera sint exposita, detur responsum S. C. S. Officii diei 23 Iulii 1890 in causa *Quebecen.* scil.: Matrimonium non esse impediendum » (Cfr. Collect. S. C. de Prop. F., II, n. 1733).

Nostra ex parte in hac quaestione censemus dicenda quae sequuntur.

Argumenta directa secundae sententiae non videntur cogere intellectum ad admittenda eius asserta.

1. Verum est classicos auctores sedulo distinguere potentiam coeundi a potentia generandi et non hanc, sed illam ad valorem sacramenti matrimonii ab iis requiri. Sed potentia coeundi apud istos auctores significat habilitatem non ad *simplicem copulam* carnalem, sed ad *copulam* carnalem de se *aptum ad generationem*. Paulus Zacchia (*Quaestiones me-*

dico-legales. Consilior., lib. IX, tit. 3, q. 2, n. 5, apud Antonelli, op. cit., II, n. 446): Porro muiler carens ovariis et utero habilis quidem est ad simplicem copulam carnalem, sed minime ad copulam de se aptam ad generationem.

2. Finis secundarius qua talis non potest obtineri nisi in opere de se ordinato vel saltem ordinabili ad finem primarium assequendum. Unde licita est in matrimonio sedatio concupiscentiae et huic adnexa delectatio quae obtinetur per exercitium copulae de se ordinatae vel saltem ordinabilis ad procreationem prolis. Ad rem S. Thomas: « Illa actio dicitur contra legem naturae, quae non est conveniens fini debito, sive quia non ordinatur in ipsum per actionem agentis, sive quia de se est improportionata fini illi. Finis autem, quem natura ex concubitu intendit, est proles procreanda et educanda... Quicumque ergo concubitu utitur propter delectationem, quae in ipso est, non referendo ad finem a natura intentum, contra naturam facit; et similiter etiam nisi sit talis concubitus, qui ad illum finem convenienter ordinari potest » (S. Thomas, *In lib. sentent.*, d. 33, q. 1, quaestiunc. 3, sol. 1). Porro, copula cum muliere castrata non potest dici opus per se proportionatum fini a natura intento, fini matrimonii primario, scil. generationi prolis, cum talis mulier per se absolute et necessario infecunda sit ob absentiam organorum essentialium generationis. Fine a natura intento, uti impossibili, necessario excluso, copula exerceretur propter solam delectationem in fraudem naturae. Finis secundarius qua talis necessario deficit fine primario, cui essentialiter subordinatus est, deficiente, unde omni seclusa possibilitate habendi prolem repugnat inire societatem coniugalem ad procreandam et educandam prolem eo fine, ut in huiusmodi societate copula carnalis propter delectationem exerceri possit et concupiscentiae sedatio obtineri.

3. Possibilitatem cognoscendi impedimentum ex absentia ovariorum et uteri quod attinet, notandum est mulieres laborantes aliquo defectu, quo per se inhabiles ad generandum fiant, rarissimas esse. Ius, iuxta ea quae ordinarie contingunt, decernit et ideo capacitatem generandi semper praesumit, do-

nec contrarium probetur. De ovariis vero et utero per gastrotomiam ablatis omni cum certitudine requisita chirurgus, qui operationem illam peregit, testari potest.

4. Dicimus omnibus matrimonium permitti qui organa ad generandum necessaria habent, licet, ut ait S. Thomas (S. Thomas, qq. *disputatae*, De Malo, q. 15, a. II, n. 14, ad 14), « propter ailquod particulare accidens, sicut est senectus vel infirmitas » generatio non sequatur. Praeterea, allegamus responsum S. C. C. in causa *Tudertina Matrimonii* diei 7 septembr. 1793, quoad grandaevum comitem Ioannem tertias nuptias appetentem. Qu.: « An sit concedenda licentia de sponsando in casu? ». — R.: Affirmative et amplius. Ad rem nostram in folio S. C. haec leguntur: « Nemo est in decrepita etiam aetate qui natura vel arte adiutus aliquando coire non valeat... atque etiam generare, dum nullum a natura definitum est procreationis tempus, et sunt qui in quacumque aetate vim habeant generandi..., et reipsa ultra centesimum annum generarunt... Qua de re nedum inter canonica impedimenta non est senectus, sed indistincte etiam Ecclesia permittit senibus matrimonium, quia habitu saltem potentiam habent generandi..., illudque imo permittit, licet extincta pene in eis sit talis potentia » (cit. apud Gasparri, op. cit., I, n. 512).

5° Responsa S. Congr. S. O. et S. Congr. de disciplina Sacramentorum de non impediendo matrimonio mulieris privatae ovariis et utero, data in casibus particularibus non videntur infirmare doctrinam primae sententiae, quia non sine fundamento admitti potest S. Congreg. prae oculis habuisse dubium facti quoad ablationem perfectam ovariorum et uteri. Quae explicatio singulari modo confirmari videtur novo responso S. C. O. 1902 anno in casu excisionis ovariorum dato. Hoc in casu S. C. O., antequam responsum daret, quaesivit a medico, quanam ratione facta fuerit illa excisio et cum hic declarasset de perfecta carentia organorum non certo constare, prodiit responsum: « Matrimonium in casu non est impediendum » (Wernz, op. cit. n. 345, in nota 34). Praefatae S. C. O. responsiones, iuxta Em.mum Cardinalem Parocchi,

secretarium eiusdem S. C. O., uti patet ex declaratione ab eo, Patri Ianuario Bucceroni facta, « ad particulares casus dumtaxat datae, supponebant, posse adhuc *per se* in illis casibus sequi generationem; scilicet quatenus non fuisset perfecta et absoluta uteri et ovariorum excisio et absentia » (Bucceroni, *Institutiones Theol. Mor.*, editio 5ª, vol. II, n. 994).

§ 2.

Varia genera impotentiae.

Impotentia est:

1) ratione temporis: *perpetua vel temporanea*: *perpetua*, quae neque progressu temporis, neque operatione chirurgica tolli potest. In iure nomine impotentiae perpetuae etiam illa venit, quae per media licita sine periculo vitae aut damno considerabili salutis corporalis tolli nequit. Vocatur impotentia temporanea, quae per se vel ope medii ordinarii cessare potest, quaeque proinde non est proprie impotentia.

2) ratione matrimonii: *antecedens* aut *consequens* prout matrimonio anterior aut posterior existit.

3) ratione personarum: *absoluta*, quae copulam carnalem cum omni persona, aut *relativa*, quae cum certa (ob frigiditatem vel penis disproportionem) vel cum certis tantum personis excludit.

4) ratione originis: *naturalis* seu *congenita*, quae a natura habetur, aut *accidentalis* seu *acquisita*, quae post nativitatem ob aliquam causam exorta est.

5) ratione indolis causae: *physica* aut *psychologica* seu *moralis*, prout in ipso corpore eiusve vita vegetativa, aut in vita sensibili aut rationali radicem habet. Causae physicae aliae sunt organicae seu anatomicae seu instrumentales, aliae autem functionales prout ex defectu anatorico oriuntur, aut ex defectu functionali, cum scilicet genitalia exterius inspecta, sunt anatomice perfecta, tamen aut membri erectio, aut seminis eiaculatio non habetur, nempe ob quamdam anomaliam, vel ob absolutam carentiam, ut aiunt, *facti reflexi*,

sicuti, inter alia accidit, cum vir lue blennoragica est affectus (S. R. R., op. cit. vol. XII, Decisio XXIII, n. 3).

Ad rem Codex Iuris Can., can. 1068, habet prout sequitur:

« § 1. Impotentia antecedens et perpetua, sive ex parte viri, sive ex parte mulieris, sive alteri cognita sive non, sive absoluta sive relativa, matrimonium ipso iure naturae dirimit.

« § 2. Si impedimentum impotentiae dubium sit, sive dubio iuris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum.

« § 3. Sterilitas matrimonium nec dirimit, nec impedit ».

§ 3.

Variae species impotentiae ex parte viri.

1) *Absentia penis* vel *penis anomalus*. Praecipuae penis anomaliae sunt: epispadia, hypospadia et differentes membri magnitudines. *Epispadia* consistit in hoc: canalis uretrae, qui regulariter in apice glandis aperitur, in epispadia aperitur in parte superiore penis. Aliquando apertura est in parte superiore glandis, aliquando vero pubim versus, prope basim penis. *Hypospadia* habetur cum canalis uretrae aperitur in parte membri inferiore. Plures hypospadiae sunt formae, prout os uretrae uno vel alio loco partis inferioris membri aperitur. Hinc habetur: *a*) hypospadia *balanica*, si os uretrae aperitur subtus glandem; *b*) hypospadia *peniana*, si os uretrae iacet quocunque alio loco membri; *c*) hypospadia scrotalis, si scrotum est divisum in duas partes, et in profundo huiusmodi divisionis os uretrae aperitur.

Impotens est qui tali penis anamolia laborat, ut semen virile intra vaginam fundere non possit, quod certe obtinet in casibus hypospadiae scrotalis et perinealis (Antonelli, op. cit., I, 284-286).

Nimius circuitus penis, qui in vaginam immitti non possit et quaevis eius anomaliae, uti bifurcatio, nec non infirmitates, quae penetrationem et seminationem intra vaginam

impediant, virum impotentem ad copulam reddunt. Tortuositatem, curvationem ac flexionem membri virilis quod attinet, inspiciendi sunt singuli casus, qui possunt praeseferre impotentiam relativam (Antonelli, op. cit., I, n. 290-295, II, n. 612-616).

2) *Anorchidia* seu absentia absoluta testiculorum quae vix existit uti congenita, haberi tamen potest per morbos et chirurgicas operationes. *Eunuchi nati* vocantur qui utroque testiculo a nativitate carent, ii vero qui accidentaliter aut arte humana utroque testiculo orbati sunt, *spadones* (a voce graeca *spao*) appellantur, quia communiter per testiculorum contritionem eunuchizabantur (A. Eschbach S. Sp. *Disputationes physiologico-theologicae, tum medicis chirurgis, tum theologis et canonistis utiles.* Editio tertia. *Disputationes I et II. De matrimonii consummatione et de coniugali impotentia.* Romae, Desclée et socii. Parisiis, Victor Lecoffre. F. Gabalda. Pars 2ª, art. II). Sunt etiam auctores qui duplicem distinguunt evirationis operationem: unam qua soli testiculi exsecantur, alteram qua integrum organum virile praescinditur; priorem operationem passos vocant *castratos*, alteram vero passos *spadones dicunt* (Wilhelm, *Beseitigung*, p. 10, apud De Smet, in op. cit. n. 550).

Anorchidis, sub respectu impotentiae ad matrimonium consummandum, adnumerandi sunt ii qui testiculorum atrophia sunt affecti, quippe qui semen virile ad matrimonii consummationem necessarium elaborare non possunt.

Ab anorchidis distinguendi sunt cryptorchidae, qui testiculos habent in abdomine latentes et seminis conficiendi sunt capaces. Notandum praeterea, monorchidas seu uno testiculo praeditos ad copulam coniugalem esse habiles.

3) *Vasectomiam passi* et ii qui canales deferentes, propter morbos, occlusos habent, quia semen in testiculis elaboratum per penem eiaculare intra vaginam non possunt (cfr. Cap. II, § 3).

4) *Nevrasthenia genitalis* seu *sexualis* qua causa functionalis pariter potest reddere virum ad copulam coniugalem

impotentem. Aliquando fit, ut ob abusum copulae extra matrimonium, aut mansturbationis, aut sodomiae activae, aut bestialitatis, sensibilitas glandis penianae paulatim adeo decreverit, ut in copula coniugali erectio nullo modo sit sufficiens ad vaginae penetrationem et multo minus ad seminis in eadem eiaculationem (Antonelli, op. cit., II, n. 618). « Causae functionales saepe cum morbis cohaerent. Sic tabes dorsalis, plures morbi cerebri, diabeta, malaria, syphilis, plures formae phtysis tuberculosae, alcoolismus, morphinomania, quempiam impotentem facere possunt... Ex vitiis functionalibus fit, ut sola supersit erectio debilior, vel ut paralysis erectionem et seminis effusionem impediat, vel ut erectio sine seminis effusione (*aspermatismus*) vel seminis effusio sine erectione producatur (*spermatorrhaea*) » (Vermeersch, op. cit., n. 71).

5) *Nimia caliditas* seu *hyperestesia* quae consistit in maxima sensibilitate glandis penianae, ob quam quaelibet excitatio etiam simplex cogitatio copulae illico erectionem et iaculationem fert; oritur ex abusu voluptatis carnalis et praesertim ex usu onanismi. Qui defectus cura medica apta tolli potest adeoque impotentiam non constituit (Antonelli, op. cit., II, n. 619). Sed si, cura medica non obstante, hyperestesia remanet, aderit sufficiens causa pro imploranda dispensatione super matrimonio rato et non consummato.

6) *Anaphrodisia* seu *impotentia psychica* seu *moralis* habetur cum causae variae morales seu psychicae minuunt vel omnino tollunt desiderium copulae, vel erectionem, vel iaculationem. Causae istae in variis persuasionibus, affectibus atque etiam in variis appetitus sexualis anomaliis consistunt In casu anaphrodisiae cerebrum actionem inhibentem transmittit ad centra sexualia, qua inhibitione, veluti quadam paralysi, afficiuntur centra ipsa et nervi qui erectioni praesident.

Anaphrodisia potest esse naturalis aut acquisita. Anaphrodisia congenita laborantes viri minime excitantur ab omnibus illis causis quae alios ad copulam carnalem generatim movent; ante mulieres quascunque nulla sexuali sensa-

tione afficiuntur; si matrimonium aliqua ratione ineunt, ad illud consummandum omnino sunt inhabiles, quocumque artificio, etiam medico adhibito, non obstante, quia membrum aut erectione caret, aut erectum statim deficit, quin vas muliebre penetrare possit. Anaphrodisia vero acquisita oritur ex variis causis et considerari potest velut syncopes quaedam temporanea centri genitalis. Ex. gr. usus continuatus nonnullorum medicamentorum (sicut hydrargyrium, iodium, aurum) atrophiam testiculorum et anaphrodisiam saepe afferunt. Idem obtinet ferquenter in syphilide affectis et in phtysicis cum iodio curatis, in opificibus aurantibus vel specula conficientibus. Praeterea, anaphrodisiam producere solent varia vitia, praesertim vero mansturbatio, sodomia et modo speciali paederastia. Vitia ista pervertunt modum sentiendi quoad appetitum sexualem. Assuefacti capere voluptatem veneream in huiusmodi adiunctis, mentem habent repletam huius tantum generis imaginibus quae eam tenent etiam quoad voluptatem ulterius capiendam. Inde fit, ut istis vitiis dediti viri inidfferentiam vel etiam aversionem a mulieribus sentiant. Idem efficit nimia mentis occupatio et diversorum sollicitudinum invasio nec non timores varii. Heic veniunt viri qui se impotentes praesumunt ob castam quam duxerunt vitam, vel qui putant membrum suum virile non bene esse evolutum vel testiculos physiologica functione non perfecte gaudere. Ista impotentiae persuasio copiam excitationis et erectionis eis aufert. Impotentia psychica notatur apud viros valde incumbentes studiis, quae eorum attentionem et mentem omnino tenent, quales sunt ex. gr. mathematici, architecti, advocati, philosophi et alii, qui in usu matrimonii carent erectione, aut si eam habent, aliqua quaestio studii, quae in eorum mentem venit tempore copulae, statim eam aufert ob actionem inhibentem cerebri. Heic pariter veniunt viri qui timent ne mulier gravida fiat, vel prodat fidelitatem, vel ne aliqua lues contrahatur. Exstant viri qui a solis personis certae formae, certae cutis, certae qualitatis excitari possunt, vel ad hoc opus habent quibusdam rebus, v. g. vestibus talis generis, coloris etc. Copulans corripitur aliquando impotentia ob

pravos odores mulieris, ob levia incommoda in genitalibus, ob nimis grandem vaginam, ob fluxus mucosos qui e vagina emittuntur, ob lacerationes, ob nimiam pinguedinem. Idem efficere potest animi a definita persona aversio, quam gignere potest etiam recordatio valde dilectae uxoris amissae; e contrario, fieri potest, ut quispiam tanta vi amoris ad certam personam afficiatur, ut per eam tantum sexualiter excitari possit (Antonelli, op. cit., II, n. 604-610; Vermeersch, op. cit., n. 71).

Psychicae impotentiae plures adnumerandi sunt casus, quos theologi nomine frigiditatis vocant, et illi plures, quos maleficio tribuunt. Certum est daemonem posse aliquando impotentiam operari, cum canonistae, theologi, et ipsi Romani Pontifices id admittant. Tamen in praxi difficile est discernere, utrum singuli casus impotentiae, uti ex maleficio habiti, sint revera uti tales existimandi, nam nihil est in homine, quod tam nulli regulae subiacet, quam organa genitalia. Etenim aliquando fere absque causa excitantur et aliquando ex causa sufficienti excitatio non producitur (Antonelli, op. cit., II, n. 608).

A nervosi plexus venereo efficaci influxu erectio producitur; quantum autem versatiles nervorum impressiones sint, nemo nescit (Eschbach, op. cit., Pars 2ª, Art. 1, De frigidis et maleficiatis, p. 160). Sanchez, in op. cit., lib. VII, disp. XCIV, n. 6, modo sequenti signa maleficiorum describit: «Maleficii signum est, quando coitum quis appetit et virgam erigit, ita ut ad copulam aptus sit; et cum ad vas foemineum penetrandum appropinquat, relaxantur ac concidunt subito organa, nec potest complere; atque iterum rigent, et si iterum copulari nitatur, denuo laxantur... Praeterea, maleficii signum est, si vir ille ad unam ligatus sit, potens autem ad alias... quod id ex frigiditate provenire non possit: utpote, quae ad omnes universalis est... Tandem ex modis, quibus impotentia effici solet ex maleficiis, quos num. 2 retulimus, erit optimus cognoscendi modus an ex maleficio viri consurgat impotentia, v. g. si vir appetens coitum, subito accedere tentans exhorrescat, nec accedere possit: manifestum est, id non posse ex causa

naturali procedere: quare maleficio tribuendum est... Similiter si foemina viri coitus avida, cum vir accedit, subito illo horrore capiatur, erit signum maleficii, quod hoc modo foeminis solere accidere diximus n. 3 ». Sed pace tanti viri, animadvertimus in recensitis maleficii signis nullum esse quod naturales vires praetergrediatur atque daemoni sit necessario tribuendum.

§ 4.

Variae species impotentiae ex parte mulieris

Casus impotentiae mulieris sequentes numerantur:

1) *Absentia vulvae,* cuius loco pellem ventris diceres continuare.

2) *Hypertrophia labiorum,* quae possunt volumine ita augeri, ut copulam valde difficilem vel etiam impossibilem reddant. Idem obstaculum ad copulam constituit *elephantiasis* labiorum magnorum, quae pervenire possunt usque ad genua. Anatomico sub respectu elephantiasis differt ab hypertrophia, cum non sit nisi inflammatio canalium lymphaticorum, coniuncta cum augmento texti connectentis, et cum eius progressus clinicus alius omnino sit.

3) *Hymen* nimis consistens, crassus et durus qui nullo modo copulam permittat (Antonelli, op. cit., II, n. 629-631).

4) *Absentia vaginae,* aut vagina impenetrabilis, sine ostio externo, aut vagina minis arcta absolute vel realtive.

5) *Vaginismus* seu fortis et dolorosa constrictio oris vaginae, quae fit, cum copulae experimentum tentatur. Vaginismus potest copulam impedire absolute. Sed defectus iste potest a chirurgo auferri. Quoad hucusque enumeratas impotentiae species omnes theologi et canonistae conveniunt. Admissa vero sententia, quae pro valore matrimonii requirit in contrahentibus habilitatem ad copulam ex qua vere sequi possit generatio, casus impotentiae adhuc erunt sequentes:

6) absentia uteri, vel uterus rudimentalis, fetalis etc.

7) absentia utriusque oviductus seu tubae fallopianae.

8) absentia vel atrophia utriusque ovarii.

CAPUT IV.

Probatio inconsummationis.

§ 1.

DUPLEX PROBATIONIS OBIECTUM ET INDOLES PROCESSUS.

In huiusmodi causis probandum est matrimonium revera non fuisse consummatum et iustam exstare causa pro dispensatione elargienda. De hisce duobus plena haberi debet iuridica probatio, ut R. Pontifex Sua suprema potestate dispensandi super matrimonio rato et non consummato legitime uti valeat.

Matrimonium non praesumitur mansisse inconsummatum, immo, celebrato matrimonio, si coniuges simul cohabitaverint, praesumitur eius consummatio, donec contrarium probetur (can. 1015 § 2 C. I. C.). Praeterea, in foro externo, conceptione secuta, matrimonium censetur consummatum. Sed praesumptio haec est iuris simpliciter tantum et impugnari potest. Etenim possibilis est conceptio ex semine viri citra copulam quae requiritur ad matrimonii consummationem, v. gr. ex semine apposito ad vaginae orificium vel ex fecundatione artificiali. Et revera, S. R. Rota, in causa *Nullit. Matrim. Parisiensi,* duplici sententia conformi (die 17 augusti 1920 et die 3 augusti 1921. Cfr. S. R. R. Decisiones seu Sent. Decisio XXV, vol XII, an. 1927), uti supra vidimus, definivit matrimonium non fuisse consummatum, licet factum conceptionis extra controversiam esset ex ipsius actricis confessione aliorumque attestationibus.

Causae dispensationis matrimonii inconsummati non sunt vere iudiciales, sed gratiosae et administrativae, quia non ab actione iudiciali criminali aut contentiosa, sed ex benigna concessione S. Sedis precibus oratoris annuentis promoventur. Ipsa legitima forma procedendi requirit, ut supplex libellus R. Pontifici, mediante S. Congregatione de disciplina

Sacramentorum, sive directe, sive melius, ad vitandas ambages, per Ordinarium loci, ab uno vel utroque coniuge porrigatur. In supplici libello plena et accurata facti species et omnes causae quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere possunt, exponantur oportet. Sedes Apostolica ad conficienda solummodo acta iudicialia Ordinarium oratorum ordinarie delegat. Non desunt exempla, ubi Episcopis a Sede Apostolica facultas concedendi ipsam solutionem matrimonii rati fuit delegata. Quae praxis in casibus extraordinariis nondum ab aula discessit, ait P. Vidal (Wernz-Vidal, op. cit., n. 625, in nota 40). Ordinarius oratorum demandatum sibi munus tribunali a se subdelegato, quod iudice, defensore vinculi et actuario constet, explendum committere solet. Acta iudicialia rite confecta, una cum voto Ordinarii et defensoris vinculi transmittuntur ad S. Congregationem de Sacramentis, quae, pro meritis causae, decernit praestandum vel secus consilium R. Pontifici pro dispensatione elargienda. Lata sententia a S. Pontifice dispensante super matrimonio non consummato, dissolvitur matrimonium et ad alia vota transire partibus licet, nisi transitus ille prohibeatur *inconsulta S. Sede,* uti contingit si oritur suspicio de impotentia. Clausula haec constituit impedimentum *vetiti Ecclesiae,* per se mere prohibitivum. Quod si pars huiusmodi prohibitioni obnoxia nubere velit, obtineatur oportet praevie S. C. de Sacr. licentia seu *venia,* ut dicitur, quae non conceditur nisi post novam inspectionem corporalem et conclusionem conformem peritorum (De Smet, op. cit., n. 331).

Dispensatio super matrimonio rato et non consummato concessa secumfert semper, iuxta can. 1053 C. I. C., dispensationem ab impedimento proveniente ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii, si qua opus sit.

§ 2.

Causae et praecipui casus inconsummationis.

Iuxta instructionem S. C. de Sacr. diei 7 maii 1923 an. n. 80, matrimonii inconsummatio ex sequentibus causis im-

pedientibus, ut plurimum procedere solet: *a*) ex defectu veri consensus in matrimonium, *b*) ex vi et metu, *c*) ex aversione et odio in ipso vitae coniugalis initio exortis inter sponsos, *d*) ex impotentia, sive absoluta sive relativa.

Casus praecipui, in quibus inconsummatio matrimonii in foro externo censetur probata hi sunt:

1. Si impotentia viri evidens est, e. gr. ob absentiam penis aut utriusque testiculi.

2. Si constat de impotentia aut virginitate mulieris ex corporis inspectione ad normam iuris (can. 1976-1981 C. I. C. et *Regula Servand.* S. C. Sacr. n. 84-95) facta.

3. Si coniuges operam dare rei matrimoniali non potuerunt, quia numquam coniuges ne per brevissimum quidem tempus post matrimonium celebratum soli fuerunt vel saltem impossibile eis fuit carnaliter commisceri. Tunc dicitur adesse casus inconsummationis tempore *coarctatae*. Cfr. tamen *Canoniste Contemporain* pro 1908 an. p. 155 et sqq., ubi narratur matrimonium aliquod fuisse dissolutum qua non consummatum, licet coniuges lecto communi usi fuerint, quia brevi post matrimonium mulier peperit, viro eius praegrantiam ignorante, quam sane advertisset si uxorem cognovisset; item *Anal. Eccl.* pro 1904 an. p. 120, ubi exponitur *causa*, in qua constitit de non consummatione matrimonii ex eo quod sponsa ipsa nuptiarum nocte, inter choreas et festivitates pepererit (De Smet, op. cit., n. 330, in nota 3). Pari modo cfr. causam *Vilnen., Dispensat. matrim.* S. C. de Sacr. Num. protoc. 4382/21, ubi exhibentur neoconiuges per tres dies post nuptias, die 27 aprilis 1914 an. celebratas, simul cohabitasse communique lecto usos esse, tamen matrimonium minime consummasse. Proficisci in Americam quam primum post matrimonium initum coniuges in animo habuerunt; orator iam pridem emptam navigationis tesseram habebat et diu morari non potuit, uxor vero sua per unum saltem mensem oculorum curandorum causa in patria manere debebat. Talibus in circumstantiis orator statuit iter in Americam suscipere solus, uxore virgine relicta intacta, ut deinde, post eiusdem in Americam adventum, fidem eius coniugalem per expe-

rimentum medicale explorare posset. America adepta pecuniam transmisit orator uxori, eamque invitavit, ut in Americam veniret quam primum. Bellum brevi ortum impedivit quominus uxor in Americam proficisceretur eaque interea illicitos fovit amores cum milite quodam gregario. Pace post bellum redintegrata, in patriam ex America reversus orator uxoris fraudem comperit et per Curiam Vilnensem Summo Pontifici preces porrexit pro imploranda gratia dispensationis super matrimonio suo utpote rato et non consummato. Ex actis processus colligitur tum oratorem, tum mulierem conventam asseverare matrimonium numquam fuisse carnali copula consummatum; iidem concordi testimonio inconsummationis motivum assignant in viri instante itinere in Americam post tres dies a celebratis nuptis. Iamvero oratoris religiositati et veracitati testes septimae manus nec non testes de scientia laudes tribuunt. Utriusque coniugis confessionem confirmant tres testes de scientia in Curia excussi, qui deponunt se ab uxore hanc notitiam accepisse tempore minime suspecto, brevi post nuptias. Ita pariter oratoris mater, frater nec non tres testes a muliere conventa propositae et factum et causam inconsummationis ab amica diversis circumstantiis didicisse testantur. Quibus perpensis S. C. de Sacr. in plenario conventu die 24 Iulii 1925 edixit praestandum esse consilium SS.mo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu et die 29 iulii 1925 SS.mus benigne dispensare dignatus est.

§ 3.

Argumenta.

Argumenta ad detegendam veritatem in his causis praecipue sunt: *a*) utriusque coniugis iurata confessio, *b*) testes septimae manus ex utroque latere, nec non testes ex officio inducti, vel etiam ad instantiam partium, prouti res ferat: *c*) inspectio corporum per peritos facta; *d*) authentica documenta, etiam extraiudicialia, cuiuscumque generis, veluti litterae, itemque acta iudicialia in foro civili confecta quatenus

ad rem faciant: *e*) indicia et praesumptiones (S. C. de Sacr., *Regulae Servandae*, d. 7. V. 1923, Cap. IV, n. 20).

Confessiones coniugum iuratae etiam concordes ad evincendam veritatem non sufficiunt, quia bonum publicum est in causa et fiunt de re favorabili confitentibus.

Testes quod spectat, instructio S. C. de Sacr. distinguit testes septimae manus et testes de scientia. Testes septimae manus sunt, quos uterque coniux inducere debet, scilicet testes unus septem et septem testes alter, sanguine vel affinitate sibi coniunctos, sin minus vicinos bonae famae, aut alioquin de re adoctos, qui iurare possint de ipsorum coniugum probitate et praesertim de veracitate circa rem deductam in controversiam (Can. 1975 § 1 C. I. C. et S. C. de Sacr., *Regul. Servand.*, n. 58 et 59).

Solummodo « testimonium septimae manus est argumentum credibilitatis quod robur addit depositionibus coniugum; sed vim plenae probationis non abtinet nisi aliis adminiculis aut argumentis fulciatur (Can. 1975 § 2 C. I C.; S. C. de Sac., *Regul Servand.* n. 60 § 1), ut si, v. gr. relatio peritorum non sit plenae adversa, aut alter litigans sit minus honestus, vel in suis confessionibus inventus fuerit parum sibi constans, aut eiusdem testes septimae manus minorem fidem mereantur etc. (P. Iosephus Noval, *De Processibus. De Iudiciis*, Pars. I, n. 856).

Testibus septimae manus alii, ex officio adiungendi sunt quoties testes septimae manus a parte vel minime vel numero non septenario inducantur, vel etiam septem inducti ad rei veritatem illustrandam insufficientes sint, vel quoties prudenter timeatur collusio inter partes, aut inter testes septimae manus et partem producentem, nisi aliis argumentis aliunde veritas evincatur (S. C. de Sacr., *Regulae Serv.*, n. 61 et 72).

Testes de scientia ex officio vel a partibus inducuntur qui referant se ex coniugibus aut ex eorum proximioribus parentibus vel etiam ex aliis personis, tempore non suspecto, quando de hac quaestione introducenda ne cogitabatur quidem, nec suberant rationes veritatem occultandi aut falsum

proferendi, didicisse, matrimonium mansisse inconsummatum (S. C. de Sacr., ibid., n. 60 § 2, 71) .

Documenta, quae iuxta n. 65 *Regul. Serv.* argumentis accensentur, admittuntur publica auctoritate exarata et privata modo sint authentica et genuina (S. C. de S., *Regul. Serv.* n. 75-78). Adminicula comprehendunt indicia et praesumptiones. Indicia et praesumptiones se habent ad invicem sicut causa ad effectum (Lega Michael, *De Iudiciis ecclesiasticis*, n. 404). Indicium est signum rei incertae, i. e. dubiae vel omnino ignotae. Praesumptio vero est iudicium de veritate, quod oritur ex indiciis tanquam signis inducentibus in cognitionem rei incertae. Conclusio inde deducta, ut rationabilis dici possit, gravibus debet esse fundata indiciis vel saltem probabilitate gaudere; aliquando tam necessario conclusio sequitur ex facto, ut certa atque indubitata sit res cum illo connexa. « Praesumptio est rei incertae probabilis coniectura » (Can. 1825 § 1 C. I. C.). Indicia et praesumptiones sunt levia, gravia et gravissima pro minore vel maiore cum inconsummationis causa necessitudine. Externa vitae coniugalis ratio et circumstantiae, ex quibus ad causam inconsummationis adstruendam argumentari fas est, illud probationis genus constituunt, quod *ex indiciis et praesumptionibus* appellatur (*Reg. Serv.*, n. 81).

Tandem, maximi momenti in hisce causis est argumentum physicum ex inspectione corporali coniugum petitum. In causis inconsummationis requiritur uxoris inspectio corporalis, per peritos facienda, nisi ex adiunctis inutilis evidenter appareat, uti si 1) consummatio haberi non potuit, quia nec tempus, nec locus, nec modus adfuerunt matrimonii consummandi vel 2) si certo iam constat de mulieris defloratione (*Regul. Serv.* n. 86; can. 1976). Viri corporalis inspectio non est praetermittenda cum inconsummatio tribuatur eius impotentiae absolutae vel relativae, et aliunde de uxoris physica integritate plena non habeatur probatio (*Reg. Serv.* n. 84).

In viro nullum est signum virginitatis; aliter res se habet cum muliere. In virginibus vagina in parte sua inferiore munita est membrana virginali seu hymene cum parvo foramine in medio, per quod menstrua statis temporibus pro-

fluunt. Cum virgo primum patitur coitum, membrum virile ordinarie lacerat hymenem causando dolorem et plerumque parvam sanguinis effusionem. Fragmenta deinde hymenis partim gangraena afficiuntur et decidunt, partim vero permanent cicatricibus obducta et constituunt carunculas myrtiformes.

Hymen est sigillum seu claustrum virginale. Integer servatus hymen abstinentiam a copula per se probat, sicuti sigillum virginale fractum et carunculae myrtiformes sunt ordinaria signa pro consummatione matrimonii. « Iurisprudentia S. C. C. retinet matrimonium, hymene integro, non esse consummatum, nisi ex medicorum examine et attestatione aliud constet » (Gasparri, op. cit., n. 1065).

Aliquando membrana virginalis adeo elastica est, ut introductionem penis in vaginam permittat, quin laceretur. Notatu dignum est mulieres nonnullas tempore partus et plures puellas post repetitas copulas praebuisse hymenem intactum. Dr. Budin, in tribus mensibus observationum, ex septuaginta quinque primiparis, tredecim invenit cum hymene intacto (Testut, *Trattato di anatomia umana,* vol. III, P. II, pag. 281, apud Antonelli, op. cit., I, n. 199).

Notum est sigillum virginale aliquando deesse omnino a nativitate et frangi posse non solum per copulam carnalem, sed etiam per corpora mechanica. Praeterea, multae sunt aliae causae quae hymenis lacerationem inducere possunt, quin mulier id advertat, uti sunt saltus, equitare more virorum, casus, repentina divaricatio crurum, conatus primi menstrui, sanguis coagulatum, ulcera, fluores albi, prolapsus uteri et vaginae et plures aliae. Ex dictis facile intelligitur hymenis lacerationem non posse *semper* et *tuto* testari mulierem non esse virginem pari modo ac hymen integer mollis et elasticus non valet certo testari copulam locum non habuisse (Guérard, *Sur la valeur et l'existence de la membrane hymen comme signe de virginité,* in *Annales d'hygiène,* pro 1872, ser. 2ª, tom. 38. Garimond, *De l'hymen et de son importance en médicine légale,* in *Annales d'hygiène,* pro 1874, ser. 2ª, tom. 42, pag. 380 cit. ab Antonelli, op. cit., I, n. 199).

Ex formis, quas hymen praebere potest, speciali nota di-

gnus est hymen plus minus *dentatus*, vel *fimbriatus*, cuius dentes vel fimbriae aliquando carunculas myrtiformes simulare possunt.

Quae cum ita sint, alii sigillum virginale ponunt in quadam contractione et compressione, qua partes orificii vaginae constringuntur, donec carnali copula dilatatae non sunt (Vermeersch, op. cit., n. 139).

In huiusmodi causis a peritis solent enumerari sequentia signa virginitatis: mammae solidae, fortiter affixae thoraci, papillae mammaram exstantes et roseae, areolae pariter roseae, venter laevis, expers cicatricum, et linaa ventris alba non fucata, labia maiora cohaerentia ita, ut occultent labia minora, suntque utraque labia rubicunda seu rosea, introitus vaginae arctus, hymen integer nec uspiam viollatus, perineum et frenulum intacta. Signa vero defloralionis exhibentur sequentia: mammae molliores seu molles, aliquantum demissae, papillae minus durae, areolae fuscae, cicatrices in cuticula ventris, linea ventris apud mulierem, quae partum edidit, conspicua, ofuscata, defectus frenuli, perineum nonnunquam laceratum, labia maiora demissa, laxius cohaerentia, non valent contegere labia minora, quae interdum prominent ex maioribus suntque colore lividiores, introitus vaginae vaginaque ipsa laxior et emittit fluorem, hymen sublatus aut saltem convulsus et tunc restant flosculi seu carunculae myrtiformes (Bangen, *Instructio practica de sponsalibus et matrimonio in usum sacerdotum curatorum*, III, De matrimonio contracto, n. 22-31, p. 217-229, ubi refertur specimen causae in S. C. Concil., 1852, an. pertractatae; Antonelli, op. cit., Specim. III, p. 175-177).

PARS SECUNDA

INSTRUCTIO S. CONGREGATIONIS

DE

DISCIPLINA SACRAMENTORUM

DE PROCESSIBUS IN CAUSIS DISPENSATIONIS

SUPER

MATRIMONIO RATO ET NON CONSUMMATO

SACRA CONGREGATIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

DE PROCESSIBUS IN CAUSIS DISPENSATIONIS SUPER MATRIMONIO RATO ET NON CONSUMMATO.

I.

DECRETUM.

Catholica doctrina est « matrimonium non consummatum inter baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam, dissolvi tum ipso iure per sollemnem professionem religiosam, tum per dispensationem a Sede Apostolica ex iusta causa concessam, utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera sit invita » (C. I. C., can. 1119).

Ut autem Apostolica Sedes dispensationem largiatur, duo sibi constare necesse est: matrimonium revera non fuisse consummatum et iustam exstare causam pro dispensatione concedenda.

Quamvis uni tantum Romano Pontifici competat dispensationem concedere, tamen pro indaganda et comprobanda tum asserta matrimonii non consummatione, tum existentia legitimae causae dispensationis, solet Sancta Sedes locorum Ordinariis committere processus instructionem, unde factorum veritas tuto eruatur.

Inde duo consequuntur magni ponderis: primo quod huiusmodi causae, utpote quae non promoventur ab actione iudiciali contentiosa aut criminali, sed ex benigna concessione Sanctae Sedis annuentis oratoris precibus, non sunt vere iudi-

ciales, sed magis gratiosae seu administravae; quae tamen cum eo spectent ut Summus Pontifex legitime uti valeat Sua suprema potestate dispensandi super matrimonio rato et non consummato cum plena rerum cognitione, in his veritas inquirenda est non minus religiose ac sedulo, quam in negotiis proprie iudicialibus. Quare quae iudex decernit aut ordinat, vera iussa faciunt quibus parere necesse est; ac inobedientes fiunt contumaces.

Alterum dein consequitur, quod alte usque insidere debet in animo iudicum et testium ac praesertim partium dispensationem efflagitantium; videlicet, si res aliter se habeant ac ab oratoribus asseruntur, id est si matrimonium ratum reapse fuerit consummatum, et veritas in processu non detegatur, vel ex culpa aut oscitantia tribunalis, vel ex fraude aut desidia partium et testium, *pontificia dispensatio forte obtenta, utpote suo fundamento destituta, nullius est valoris;* et matrimonio, quod dispensatum ducitur, in suo valore permanente, si partes vinculo matrimoniali se solutas exstiment, et aliud matrimonium in facie Ecclesiae ineant, hoc revera est invalidum, proindeque putati coniuges filiique forte progeniti, graviorum malorum vinculis pene inextricabilibus implicantur. *Hoc proinde est solemniter praemonendum a iudice antequam iusiurandum praestetur, et animo reputandum ab omnibus qui in his causis partem habent, praecipue eo momento quo a partibus, a testibus, a peritis, respective, reduntur iuratae responsiones, attestationes, relationes.*

Quo vero locorum Ordinarii in huiusmodi causarum instructione tutius et expeditius, ad tramitem iuris communis, procedant, sequentes regulae praestitutae sunt. Quas cum maturo examini E.mi ac Rev.mi Patres Cardinales S. Congregationi *de disciplina Sacramentorum* praepositi subiecissent, in plenariis comitiis diei 27 aprilis c. a. easdem probarunt atque publici iuris fieri, si Ss.mo placuerit, rescripserunt. Ss.mus autem D. N. Pius Papa XI, in audientia die 7 maii 1923 habita ab infrascripto Cardinali Praefecto, sententiam E.morum Patrum adprobare et confirmare dignatus est, atque ut hae regulae ab omnibus ad quos spectat, rite et religiose

serventur, easdem iussit edi in Commentario officiali *Acta Apostolicae Sedis*.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 7 maii, anno 1923.

M. Card. Lega, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† A. Capotosti, Ep. Thermen., *Secretarius*.

II.

REGULAE SERVANDAE

IN PROCESSIBUS SUPER MATRIMONIO RATO ET NON CONSUMMATO.

CAPUT I.

De foro competenti.

1. Ad unam Sacram Congregationem de disciplina Sacramentorum spectat cognoscere de facto inconsummationis matrimonii et de existentia iustae causae ad dispensationem concedendam (Can. 249, § 3, et 1962).

2. Nullus iudex inferior potest processum in causis dispensationis super rato instruere, nisi Sedes Apostolica eidem facultatem fecerit (Can. 1963, § 1).

3. § 1. Si tamen iudex competens auctoritate propria iudicium peregerit de matrimonio nullo ex capite impotentiae, et ex eo, non impotentiae, sed nondum consummati matrimonii emerserit probatio, omnia acta, una cum libello unius vel utriusque coniugis pro Apostolica dispensatione impetranda, ad Sacram Congregationem transmittantur, quae iis uti potest ad sententiam super rato et non consummato ferendam (Can. 1963, § 2).

§ 2. Si vero probationes de non secuta matrimonii consummatione hactenus instructae, habeantur non sufficientes iuxta normas heic positas, eaedem compleantur et acta dein plene instructa ad H. S. C. remittantur.

4. Pariter si in iudicio in prima aut in altera instantia peragendo de matrimonii nullitate, ex alio capite (ex. gr. ex defectu consensus, ex vi et metu, etc.) matrimonii nullitas evinci non possit, sed *incidenter* dubium valde probabile emerserit de non secuta matrimonii consummatione, tunc integrum est alterutri vel utrique parti, libellum porrigere Romano Pontifici inscriptum, pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato; at quin preces ad hanc Sacram Congregationem remittantur pro obtinenda consueta commissione facultatum, fit potestas iudici, vi huius praescriptionis seu ex delegatione a iure, causam instruendi iuxta regulas heic determinatas.

CAPUT II.

De supplici libello ad petendam dispensationem

5. § 1. Soli coniuges ius habent petendi dispensationem super matrimonio rato et non consummato (Can. 1973).

§ 2. Pro singulari natura huius processus, quem moderantur hae regulae, congruit ut coniux dispensationem efflagitans, non *actoris*, sed *oratoris* nomine nuncupetur; coniux vero ab altero coniuge in causam vocatus, proprie *pars conventa* appellabitur, nisi et ipse cum alio dispensationem petat.

6. § 1. Supplex libellus, qui semper Romano Pontifici erit inscribendus et ad Sacram Congregationem de Sacramentis transmittendus, contineat plenam et accuratam totius facti speciem et causas omnes, quae ab obtinendam petitam dispensationem conducere possunt (Const. *Dei miseratione*, n. 15); appositis etiam die, mense et anno, seu data exhibiti libelli, nec non dioecesi in qua orator aut oratores commorantur.

§ 2. Curandum est ut libellus referat genuinam factorum narrationem ab ipsa parte, si fieri potest, scripto exaratam et subscriptam (cf. in Appendice, n. I).

7. Quamvis cuilibet fideli integrum sit libellum ad Sanctam Sedem transmittere, expedit tamen, et semper suaden-

dum est, ut id per proprium Ordinarium fiat, qui suam addere debet informationem.

8. § 1. Ordinarius proprius est Ordinarius loci in quo matrimonium celebratum est, aut in quo orator domicilium aut quasi-domicilium habet; aut, si pars oratrix sit illegitime separata ab altero coniuge, in quo haec pars conventa, dummodo sit catholica, domicilium aut quasi-domicilium habet (Can. 1964).

§ 2. Licet tamen oratori recurrere ad Ordinarium loci suae actualis commorationis, qui preces acceptare valet et commendare apud H. S. C., praesertim cum plerique testes audiendi in sua dioecesi degant.

9. § 1. Ordinarius, ut informationem addat cum factorum sufficienti cognitione, potest investigationes facere in res et personas, sed non propriam inquisitionem cum partium aut testium interrogationibus in forma processus iudicialis (cf. in Appendice, n. II).

§ 2. Si contingat dispensationem peti a parte acatholica, Ordinarius petitionem ad hanc Sacram Congregationem aeque remittat; additis tamen necessariis et opportunis explicationibus de petitionis fundamento, de oratoris qualitatibus personalibus, aliisque adiunctis ad rem facientibus.

10. § 1. Curet Ordinarius, cum factorum et personarum sufficientem notitiam habuerit, ut partes inter se reconcilientur, ne abrumpatur coniugale consortium, adhibitis prudentiae et pastoralis charitatis officiis et argumentis in casu magis opportunis; nisi rerum et personarum adiuncta huiusmodi experimentum prorsus inutile esse suadeant.

§ 2. Nedum Ordinarii ad hoc utiliter parochorum operam adhibeant, sed parochi ipsi cum huiusmodi discordiarum aut difficultatum vitae coniugalis notitiam habeant, prouti in singulis casibus prudentia suggesserit, opportune consilia praebeant et exhortationes, ne aditus aperiatur dissolutioni consortii coniugalis.

11. § 1. Si ex supplici libello oratoris, vel ex causae instructione iam inchoata, vel ex aliis investigationibus iuxta n. 9, constiterit, matrimonii consummationem coniuges om-

nimode devitasse ex detestabili onanismi vitio, tunc orator vel uterque coniux, si hi concorditer dispensationem petant, sunt monendi, causam non posse institui vel ad ulteriora produci.

§ 2. Quod si orator significet se criminis nullimode fuisse participem, sed depravatos alterius coniugis mores passum esse, aut, etiamsi fateatur se non esse innoxium, ostendat tamen hodie res eo devenisse ut coniugalis consortii instauratio non sit possibilis, ac sincere sit facti poenitens, et serio promittat se in altero coniugio forte inituro huiusmodi nefando facinori nullimode operam esse daturum, tunc iudex rem deferat ad H. S. C.

12. Si, accepto libello, haec Sacra Congregatio censuerit precibus annuendum esse, solet Ordinario loci, qui oratorem commendavit, dare litteras delegationis pro causa instruenda, iuxta has regulas et cum clausulis opportunis.

CAPUT III.

De tribunali constituendo

13. Ordinarius, facta sibi facultate a Sacra Congregatione de disciplina Sacramentorum conficiendi processum super asserta matrimonii inconsummatione, curabit tribunal, cum primum poterit, constituere, ad id adhibendo ministros in sua Curia constitutos, vel alios etiam, quoscumque maluerit, eligendo et assumendo, nisi aliud in rescripto delegationis cautum sit, dummodo isti iis praediti sint qualitatibus, quae a iure pro singulorum munere praescriptae sunt (Can. 1607, § 1).

14. Ordinarius, quatenus utatur facultate subdelegandi, actum subdelegationis scripto redigat, facta mentione delegationis ab Apostolica Sede tributae cum addita potestate subdelegandi, expressis nominibus coniugum, de quorum matrimonio causa agitur, et relatis instructionibus, si quae ab hac Sacra Congregatione datae fuerint.

15. Eodem vel altero actu, scriptis pariter confecto, Ordinarius deputet defensorem vinculi et actuarium, qui iis do-

tibus praediti sint quae in iure requiruntur (Can. 1589, § 1); nisi extraordinarios ministros constituendos mandaverit ipsi subdelegato, qui, secus, uti debet ministris Curiae dioecesanae (Can. 1607, § 2. Cf. in Appendice, n. V).

16. § 1. Ordinarius, etsi delegatus a Sede Apostolica ad causam instruendam, vel iudex subdelegatus, eam non suscipiat, in qua, ratione consanguinitatis vel affinitatis, vel ratione tutelae et curatelae, intimae vitae consuetudinis, magnae simultatis vel lucri faciendi aut damni vitandi, aliquid ipsius intersit, vel in qua antea advocatum vel procuratorem egerit, ad praescriptum can. 1613, § 1.

§ 2. Iisdem in adiunctis a suscipiendo munere abstinere debet defensor vinculi (Can. 1613, § 2).

17. § 1. Ordinarius qui ob legitimam suspicionis exceptionem causam instruendam non scusceperit, debet vel iudicem subdelegare, si haec facultas ei competat, vel rem ad Sacram Congregationem remittere.

§ 2. Si exceptio suspicionis adversus iudicem subdelegatum proponatur, Ordinarius vel obiectam suspicionem definit, vel alium iudicem subdelegat, si hac potestate polleat, vel rem ad H. S. C. remittit. (Can. 1614, § 1 et 2).

18. In ipsa tribunalis constitutione, vel in toto causae cursu, Ordinarius vel iudex , ad normam n. 15, alios viros aeque idoneos eligere poterit, qui iudicis et aliorum officialium vices gerant pro casu quo primi electi fuerint impediti, vel uti suspecti legitime habiti. Cum eorum opera in causae decursu occurrerit, de subrogatione secuta et de subrogationis motivo in actis mentio fiat; et opportunum erit ut hi cum dictione *substituti* subscribant aut denotentur in actorum textu.

19. Excepto Episcopo, quando per se iudicis instructoris munere fungitur, omnes qui tribunal constituunt, in prima sessione iusiurandum de officio rite ac fideliter implendo et de secreto servando praestare debent.

CAPUT IV.

De officio iudicis et tribunalis ministrorum

20. Iudicis, postquam ei legitime commissa fuerit processus instructio, est inquisitionem iudicialem instituere super asserta matrimonii inconsummatione, iuxta regulas heic traditas. Inquisitio versari debet circa omnia quae inconsummationem probant, vel impugnant, et circa causas legitimas dispensationis. Argumenta autem ad detegendam veritatem in his causis praecipue sunt: *a*) utriusque coniugis iurata confessio; *b*) testes septimae manus ex utroque latere; nec non testes ex officio inducti, vel etiam ad instantiam partium, prouti res ferat; *c*) inspectio corporum per peritos facta: *d*) authentica documenta, etiam extraiudicialia, cuiuscumque generis, veluti litterae, itemque acta iudicialia in foro civili confecta, quatenus ad rem faciant; *e*) indicia et praesumptiones.

21. Iudex in primis moderator est actorum. Ipsius itaque erit: *a*) tribunal convocare et sessiones indicere; *b*) vinculi defensorem, partes et testes citare, ut in iudicium compareant; *c*) peritos medicos et obstetrices, audito vinculi defensore, designare, si inspectio corporalis facienda sit: *d*) partes, testes et peritos, tum quaesita a vinculi defensore confecta, tum nova ex officio proposita adhibendo, interrogare; *e*) atque ea omnia statuere, quae eius prudentiae et sagacitati aptiora videbuntur ad factorum veritatem eruendam.

22. § 1. Petitiones partis oratricis aut partis conventae, quibus instatur pro testium productione aut interrogatione aut alia probatione obtinenda, aut quocumque alio actu processuali conficiendo, iudex admittet aut reiiciet, audito defensore vinculi, suo decreto, in quo, si rei gravitas ferat, explicabit breviter rationes admissionis aut reiectionis (Can. 1840, § 3).

§ 2. Pars, quae iudicis decreto se laesam sentiat, potest iudicem adire ut decretum revocet aut corrigat (Can. 1841);

at appellationi nullimode datur locus, salvo tamen recursu ad Ordinarium, nisi ipsemet sit iudex.

23. Si quando pars aut testes examinandi sint alienae dioecesis vel sint extra dioecesim degentes, et hi sine gravi incommodo ad tribunalis sedem, ubi causa instruitur, accedere nequeant, iudex Ordinarium illius dioecesis rogabit, ut, constituto tribunali, partem ac testes citet, examinet et ab eis documenta requirat, iuxta interrogationes a defensore vinculi, mandato iudicis instructoris, confectas et ab ipso iudice transmissas, additis instructionibus opportunis, si casus ferat (Can. 1570, § 2; 1770, § 2, n. 3). Ordinarius hac de re requisitus, servatis iuris praescriptionibus, acta, per se vel per alium confecta, ad iudicem remittat.

24. § 1. Pars vel testes, qui in dioecesi quidem commorantur, sed in locis ob dioecesis vastitatem et asperitatem aut defectum viarum ita dissitis a tribunalis sede, ut sine magna temporis iactura et gravibus impensis neque ipsi iudicem adire, neque a iudice instructore, defensore vinculi et actuario adiri possint, interrogari debent per parochum, si fieri potest, vel alias per sacerdotem dignum et idoneum, ad hoc a iudice instructore delegatum, qui ipsi parti vel testi propior sit (Can. 1770, § 2, n. 4).

§ 2. Huic cum litteris delegationis transmitti debent interrogationes faciendae et instructiones ad rem opportunae. Delegati autem erit, pro facultate in litteris expresse facta, sibi adscire duos ministros, quorum unus defensoris vinculi munere fungatur, et hic sacerdos esse debet, et alter actuarii, qui et laicus esse potest, dummodo probatae fidei, ut examen huius partis vel testis legitime perficiatur et in actis redigatur.

§ 3. Sacerdos delegatus iusiurandum de officio rite et fideliter adimplendo ac de secreto servando coram actuario praestare debet, et defensor vinculi et actuarius coram delegato: et de hoc mentio fiat in actis.

§ 4. Si delegatus haud possit habere sacerdotem quem sibi adsciscat in munere defensoris vinculi, id notet in actis et ipse ex officio faciat interrogationes aut alia animadver-

tat: itemque si desit, in regionibus parum vel nullimode excultis, qui actuarii munus expleat, facta debita adnotatione in actis, ipse iudex actum exceptae attestationis, cum debitis notis, redigat.

25. Iudex, ut aeque aestimari possit uniuscuiusque attestationis pondus, *de singulorum in iudicium vocatorum aut vocandorum probitate et credibilitate nunquam inquirere praetermittat*, et ad hoc curabit ut ab eorum parochis litterae testimoniales exhibeantur, quae, si haberi non possint, erunt a Curia alia documenta perquirenda; et haec omnia sedulo in actis referantur (cf. in Appendice, nn. XI-XIV).

26. Si acciderit partem conventam vel testem inductum a parte, vel ex officio vocatum, aut peritum in iudicium non venire, de non secuta comparitione in iudicium, et de causa saltem probabili non accessus, an ex. gr. agatur de impossibilitate vel de inobedientia seu de contumacia, in actis mentio fiat. Et si de contumacia agatur, haec declaretur (Can. 1843) et in actis apposita documenta referantur (cf. in Appendice, n. XXV). Si vero quis examini subiiciendus e vita migraverit, mortis documentum inter acta recenseatur, nisi aliter de eius morte satis constet.

27. § 1. In processu de matrimonii inconsummatione et de causis ad dispensationem super rato adductis, requiritur praesentia vinculi defensoris; eoque non citato, acta irrita sunt, nisi ipse, etsi non citatus, revera interfuerit (Can. 1587, § 1).

§ 2. Si legitime citatus aliquibus actis non interfuerit, acta quidem valent, verum postea eius examini subiicienda omnino sunt, ut ea omnia, sive voce sive scriptis, possit animadvertere et proponere quae necessaria aut opportuna iudicaverit (Can. 1587, § 2).

28. Defensoris vinculi officium est: *a*) examini partium, testium et peritorum adesse; *b*) exhibere iudici interrogatoria clausa et obsignata, in actu examinis a iudice aperienda, et partibus, testibus aut peritis proponenda; *c*) novas interrogationes ab examine emergentes iudici suggerere: *d*) articulos a partibus propositos perpendere, eisque, quatenus opus

sit, contradicere; *e*) documenta a partibus exhibita recognoscere; *f*) animadversiones pro adstruenda matrimonii consummatione scribere et allegare; *g*) eaque omnia deducere, quae ad matrimonium tuendum utilia censuerit (Can. 1968).

29. Defensoris vinculi ius esto: *a*) semper et quolibet causae momento acta processus invisere; *b*) novos terminos ad acta perficienda flagitare, prudenti iudicis arbitrio prorogandos; *c*) de omnibus probationibus vel allegationibus ita certiorem fieri, ut contradicendi facultate uti possit; *d*) petere ut alii testes inducantur, vel iidem iterum examini subiiciantur, processu etiam absoluto et clauso, novasque animadversiones edere; *e*) exigere ut alia acta, quae ipse suggesserit, conficiantur, nisi iudex dissentiat; quo in casu, si iudex non sit ipsemet Ordinarius, ad hunc recurrere fas est vinculi defensori (Can. 1969).

30. Actuarii, qui notarii seu cancellarii in processu partes explet, praecipuum munus erit legitime actis conficiendis intendere, acta fideliter custodire ne cuipiam extraneo pateant, transumpta conficere et de eorum authenticitate testari.

31. Tam iudex instructor quam defensor vinculi curent ut pars vel testis vel peritus interrogationi ipsi delatae respondeat quoad omnes partes in quas dividitur. Si quandoque parti aut testi aut perito difficile sit memoria totam interrogationem retinere, ei per partes illa proponatur, quo facilior responsio et plenior evadat.

32. Fas erit iudici, audito vinculi defensore, actuario assignare adiutorem, qui eum coadiuvet in scriptione actorum et in transumptis conficiendis. Is, sicuti ceteri ministri tribunalis, ex momento quo assumitur, iusiurandum praestet de munere fideliter obeundo et de secreto servando.

CAPUT V.

De initio processus et de citationibus faciendis

33. § 1. Si omnia expleri non possunt unica sessione, processus in sessiones dividitur; videlicet, quoties tribunal a iu-

dice legitime convocatur ad processus acta explenda, sessio habetur.

§ 2. De decreto iudicis quo sessio clauditur et alia vel tunc indicitur vel erit opportuno tempore indicenda, nisi instructio causae sit absoluta, mentio in actis facienda est.

34. § 1. In prima sessione tribunal coadunatur et etiam completur si aliqui desint administri. Siquidem in ea iudex communicat: *a*) litteras Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, quibus processus instructio Ordinario committitur; *b*) litteras Ordinarii, nisi ipse per se praesit, quibus iudicis officium subdelegat; *c*) deputationem defensoris vinculi et actuarii iam ab Ordinario peractam, vel ab ipso iudice, vi specialis delegationis, vel iam factam, vel in hac sessione faciendam; *d*) electionem officialium substitutorum; *e*) supplicem libellum oratoris inquisitionis introductorium; *f*) denique praestandum est iusiurandum, ad tramitem n. 19 (cf. in Appendice, nn. VI-IX).

§ 2. Ista propria sunt primae sessionis, in qua tamen et alia expleri possunt acta, vel ipsa instructio absolvi, si ita res patiatur: quod non contingere solet; quare in reliquis habetur conventus personarum tribunal constituentium ad certa processus acta conficienda. Conventus autem habetur die et loco determinatis in superiore proxima sessione: nisi iudex maluerit statuere ut sessio habeatur die et loco dein determinandis et indicendis.

35. Aliquot diebus antequam tribunal congregetur, iudex citat eum qui examini est subiiciendus, itemque defensorem vinculi et actuarium, nisi hi iam in superiore sessione invitationem exceperint, ut in n. 34, § 2 (cf. in Appendice, nn. X et XXII).

36. Citatio parti et testi fit per litteras in modum invitationis, tamen praeceptive; quae litterae contineant: *a*) praeceptum iudicis ad comparendum; *b*) nomen, cognomen et domicilium illius qui in ius vocatur; *c*) iudicem coram quo comparere iubetur; *d*) locum et horam audientiae; *e*) causam, ob quam convenitur, satis significatam, seu saltem generalibus

verbis indicatam (Can. 1715, § 1); *f*) iudicis et actuarii subscriptionem et tribunalis sigillum (cf. in Appendice, n. XV).

37. Citatio clausa Curiae cursori, ne evulgationi ansa praebeatur, tradetur; et per eundem cursorem erit private et personaliter intimanda. Altera citationis scheda asservatur in actis (Can. 1716). Si ob distantiam vel aliam causam, per cursorem fieri non possit intimatio, scheda citationis, iussu iudicis, transmitti poterit per tabellarios publicos, dummodo commendata et cum syngrapha receptionis, vel alio modo, qui, secundum locorum leges et conditiones, tutissimus sit (Can. 1719). Cursor si per se intimationem peregerit, de ea in scriptis, ad calcem schedae in actis asservatae manu propria subsignatis, ad iudicem referat (cf. in Appendice, n. XVI); si vero intimatio facta fuerit per publicum tabellariorum officium, in actis adservetur fides eiusdem officii.

38. § 1. Quoties, diligenti inquisitione peracta, adhuc ignoretur ubi commoretur pars conventa aut etiam testis, si rei gravitas postulet, locus est citationi per edictum. Hoc aueem fit affigendo per cursorem ad fores Curiae schedam citationis ad modum edicti, per tempus prudenti iudicis arbitrio determinandum, et in aliqua publica ephemeride eam inserendo. Si vero utrumque fieri nequeat, alterutrum sufficiet. (Can. 1720; cf. in Appendice, n. XXIII).

§ 2. Si citatus praecepto comparendi obtemperare renuerit, videat iudex an renovanda sit citatio (Can. 1843, § 2), vel aliis modis magis opportunis et efficacibus uti expediat, ut foret interventus personae amicae vel auctoritate gravis. A remediis coërcitivis, ut flectatur contumacia, abstinere ut plurimum prudens erit.

§ 3. Iudex videat etiam an partis vel testis non comparitio seu contumacia, per alios testes, de re circa quam illi interrogati fuissent, edoctos, suppleri possit.

CAPUT VI.

De iureiurando a partibus, testibus et peritis praestando, et de interrogationibus iisdem faciendis

39. Iudex, antequam cuipiam in ius vocato interrogationes deferat, exquirat iusiurandum de veritate dicenda, tacto s. Evangeliorum libro (cf. in Appendice, nn. XVIII et XXIX). Si citatus suas attestationes sub iureiurando reddere renuat, et iudex instructor censeat eius attestationes esse utiles ad veritatem detegendam, potest eas excipere, facta tamen in actis mentione de iurisiurandi recusatione eiusque causa.

40. Iudex partem, testes aut peritum ad iusiurandum recipiens, eum, prouti casus ferat, commonefaciat de sanctitate actus et de gravissimo delicto quod admittunt iurisiurandi violatores, adnotando peculiarem gravitatem iurisiurandi in subiecta materia et periurii funestissimos effectus, iuxta ea quae in Decreto adnotantur; item, si pro qualitate personarum opportunum hoc videatur, moneat de poenis quibus obnoxii fiunt in foro Ecclesiae qui falsum in iudicio iurati affirmant. Poenas contra iurisiurandi violatores sunt: *a*) interdictum personale, si periurus sit laicus; *b*) suspensio, si clericus (Can. 1743, § 3).

Has tamen poenas iudex ne ferat inconsulto Ordinario.

41. Examen faciendum est a iudice, cui adsistant oportet defensor vinculi et notarius ceu actuarius. In examine interrogationes non ab alio quam a iudice, vel ab eo qui eius locum tenet, faciendae sunt. Quapropter si a defensore vinculi novae interrogationes testi faciendae sint, has non testi, sed iudici, vel eius vicem gerenti, proponere debet, ut eas ipse deferat (Can. 1773, §§ 1-2).

42. Interrogationes proponendae dividuntur in *generales* et *particulares*: priores ordinantur ad exquirendum de generalibus personae adiunctis, hoc est de nomine, cognomine, origine, aetate, religione, conditione, domicilio et necessitudine cum partibus in causa; hae semper et omnibus indistincte sunt deferendae, nisi iudex existimet unam vel alteram esse

in casu particulari omittendam. Posteriores ordinantur ad veritatem eruendam circa factum inconsummationis et causas dispensandi. Praeterea a teste semper exquirenda est scientiae causa, nempe unde, quando et quomodo ea quae asserit, habeat cognita (Can. 1774).

43. § 1. Interrogationes sint breves, non suggestivae, non plura complectentes, pertinentes ad causam de qua agitur, testis intelligentiae accommodatae et vulgari sermone expressae (Can. 1775).

§ 2. Partes et testes et periti oretenus responsiones reddant. Ne praemoneantur de interrogationibus faciendis, nec eis permittatur depositionem legere, nisi in aliquo casu particulari iudex apportunum censeat sinere ut pars interrogata aliquod grave documentum legat, quod eius dicta comprobare vel eius memoriam adiuvare valeat (Can. 1776-1777).

44. § 1. Partis, testis et periti responsio ex continenti redigenda est scripto ab actuario, non solum quod ad substantiam spectat, sed etiam quod attinet ad editi testimonii verba (Can. 1778).

§ 2. Si verba referri non possunt, vel quia nimis praecipitanter prolata, vel quia impropria et inter se non logice connexa, iudex dictabit responsionem in actis redigendam.

§ 3. Actuarius interrogationes iam in scriptis exaratas non referet; sed responsiones ex ordine designabit eodem numero quo notantur relativa interrogatoria; interrogationes vero *ex officio* additas ad verbum referet.

45. Actuarius in actis accurate singulis vicibus adnotet iurisiurandi praestationem, et generaliter omnia memoria digna, quae forte acciderint cum examina explentur (Can. 1779).

46. Parti et testi et perito antequam ab auditorio discedant, debent legi quae actuarius de iis quae viva voce quisque testatus est, scripto redegit, data eidem parti et testi et perito facultate addendi, supprimendi, corrigendi, variandi. Cum autem is responderit se nihil amplius habere quod dicat aut mutet, iterum iusiurandum de veritate dictorum et de secreto servando emittat (cf. in Appendice, n. XX), et deinde

depositioni subscribere iubeatur, et post eum subscribant iudex, defensor vinculi et actuarius (Can. 1780, §§ 1-2).

47. § 1. Pars oratrix aut conventa poterit iterum ad examen vocari vel ad instantiam partis aut defensoris vinculi, vel *ex officio* a iudice, audito vinculi defensore; et partes etiam poterunt inter se *conferri* (vulgo *confrontare*), si expediat et omne rixae aut scandali sit remotum periculum.

§ 2. Item testes et periti poterunt, partibus aut defensore vinculi id postulantibus, vel id statuente iudice *ex officio*, et audito vinculi defensore, denuo ad examen vocari, et circa iam attestata, vel circa nova facta vel quaestiones ex processu emergentes, interrogari (Can. 1772, §§ 2-3).

§ 3. Quoties id expostuletur a partibus, iudicis est suo decreto, audito vinculi defensore, eiusmodi postulationem reiicere vel admittere, cauto, si admittat, quod potissimum omnis collusionis aut corruptelae periculum absit (Can. 1781).

§ 4. Cum pars vel testis vel peritus novo examini submittitur, eadem serventur, congrua congruis referendo, quae de partium et testium examine infra edicuntur n. 68, § 2, et 69.

48. In conficiendis actis, seu in relatione scriptis redacta de iis quae fiunt aut decernuntur in sessionibus tribunalis, lingua latina adhibeatur; citationes vero, iusiurandum a partibus, testibus et peritis praestandum, interrogationes et responsiones, nec non relationes et vota peritorum, lingua vernacula exprimi possunt.

49. Documenta, quae lingua latina, italica aut gallica exarata non sint, latine reddantur ad verbum. Item acta quae lingua latina, italica aut gallica redacta non sint, in unam ex iis linguis authentice vertantur. Si ad versionem faciendam interpres foret adhibendus, is a iudice, audito vinculi defensore, eligatur, eique, sicuti aliis tribunalis ministris, duplex iusiurandum erit deferendum, nempe de munere fideliter obeundo et de secreto servando (cf. in Appendice, n. XXI).

CAPUT VII.

De examine partium

50. § 1. Primo ille coniux audiatur, qui supplicem libellum porrexit et est veluti actor in causa. Iudex eidem, praemisso iureiurando, interrogationes deferat a defensore vinculi concinnatas et clausas sibi traditas. Alias addat *ex officio*, si necessarium aut utile putaverit ad veritatem accuratius exponendam: in interrogationibus conficiendis et proponendis, subiecta in Appendice specimina inspiciantur.

§ 2. Si uterque coniux dispensationem efflagitet, opportunum, ut plurimum, est uxorem antea examini subiicere, et in examine erunt praecipue diligenter perquirendae rationes ob quas ambo coniuges in dispensatione efflagitanda consentiunt et concordant.

§ 3. Quia his in adiunctis maxime pertimescenda est collusio, veritas sedulo perquirenda erit per testes *ex officio* inducendos.

51. Uxori, oratrici vel conventae, post interrogationes generales, interrogationes speciales, prudenter pro adiunctis variandae, deferantur (cf. in Appendice, sub n. XIX).

52. Item viro, oratori vel convento, eaedem interrogationes proponi poterunt, quibus aliae pro rerum adiunctis magis accommodatae, adiiciendae erunt (cf. in Appendice, sub n. XXIV).

53. Cum uxor virum de impotentia, sive absoluta sive relativa, insimulet, tunc a viro expetatur ut sese submittat corporali inspectioni, ad normam ss. canonum et harum regularum, n. 84.

54. Nisi certo aliunde constet, nunquam praetermittenda est interrogatio parti facienda, ut referat quando et a quo didicerit matrimonium ratum et non consummatum a Romano Pontifice posse dispensatione dissolvi.

55. § 1. Parti quae secundo loco interrogatur, si eius responsiones in pluribus et notabiliter discrepent a responsionibus alterius coniugis, erunt a iudice novae *ex officio*, vel ad

instantiam defensoris vinculi, proponendae interrogationes, ad difficultatem et dubitationem diluendam, facta vel minus mentione coniugis contradicentis, prouti casus ferat et prudentia suggerat.

§ 2. Quoties rei gravitas postulet, iudicis est, audito vinculi defensore, *ex officio* vel instante altero coniuge aut vinculi defensore, partem ad novum examen vocare ad praescriptum n. 47, in quo novae interrogationes seu contestationes proponentur.

§ 3. Si responsiones in novo examine exceptae rem non undequaque expediant, sed viam videantur aperire ulteriori veritatis investigationi, altera parte quae primo loco fuit interrogata iterum ad examen vocata, eidem in contestatione ponantur responsiones ab adverso coniuge redditae, non exclusa collatione partium inter se et firmo praescripto n. 47.

56. § 1. Iudex nunquam omittat interrogare partes circa existentiam causae ad impetrandam dispensationem invocatae.

§ 2. Huiusmodi interrogationem iudex etiam faciat testibus, qui de re edocti verisimiliter praesumantur.

57. § 1. Antequam finiatur examen et praestentur quae statuuntur n. 46, iudex a parte petat ut producat testes septimae manus; et alios etiam, si quos habeat, de petitae dispensationis obiecto instructos.

§ 2. Sedulo quaerendum est a parte, quoties alter coniux sit contumax, ut indicare velit testes qui cum sint de istius familia aut vicinia aut eius res domesticas cognoscant, probabiliter utile testimonium praestare valeant.

CAPUT VIII.

De testium productione et aliis probationibus ad rem facientibus

58. In his causis, debet uterque coniux testes, qui *septimae manus* audiunt, inducere, sanguine vel affinitate sibi coniunctos, sin minus vicinos bonae famae, aut alioquin de re edoctos, qui iurare possint de ipsorum coniugum probitate,

et praesertim de veracitate circa rem deductam in controversiam (Can. 1975, § 1).

59. Testimonium septimae manus, ut ipsa denominatio innuit, septem testibus ex utraque parte inductis, hoc est septem ab una et septem ab altera, constare debet. Quod si tot testes haberi nequeant, sufficere poterunt pauciores; ratio tamen in actis referenda est, cur septenarius numerus haberi non potuerit.

60. § 1. Testimonium septimae manus est argumentum credibilitatis, quod robur addit depositionibus coniugum, sed vim plenae probationis non obtinet, nisi aliis adminiculis aut argumentis fulciatur (Can. 1975, § 2).

§ 2. Testes septimae manus, quatenus sunt de credibilitate, eo maiorem sibi conciliant fidem, pro potiora habent documenta de sua probitate. Habendi sunt autem quasi testes *de scientia*, et hinc maximam faciunt fidem, cum referunt se ex coniugibus aut ex proximioribus parentibus, tempore non suspecto (ut infra, n. 70), didicisse matrimonium mansisse inconsummatum.

61. Testibus septimae manus iudex alios testes *ex officio* adiungere potest, imo debet, quando scilicet testes septimae manus vel a parte non inducantur, vel tres tantum aut quatuor inducantur, vel ad rei veritatem illustrandam, etsi septem vel plures ab utraque parte producantur, insufficientes sint.

62. Inductio testium *ex officio* non est praetermittenda, cum ex actorum instructione ediscitur, alias adesse personas de re controversa edoctas, vel quae alio modo utilem attestationem reddere valent.

63. § 1. Si partes, aut earum altera, petant sibi pandi nomina testium ab adversa parte aut *ex officio* productorum, iudex, audito vinculi defensore, excluso quovis periculo corruptionis aut collusionis, et nisi aliquod obstet impedimentum, id indulgere valet suo decreto, quod in actis referri debet.

§ 2. Iuidcis tamen est differre, prouti casus ferat, nominum publicationem, postquam testes suam reddiderint attestationem.

64. § 1. Argumentum ex corporis mulieris inspectione de-

ductum, per se, semper requiritur, nisi ex adiunctis inutile evidenter appareat (Can. 1976; cf. infra, sub n. 85), vel aliunde haberi non possit, prouti si mulier sit vidua aut corrupta.

§ 2. Quod si pars, non obstante iudicis decreto, absolute renuat inspectioni se subiicere, ex adiunctis aestimandum erit cuinam causae attribuenda sit haec recusatio; et utrum huius probationis defectui suppleri debeat per alia argumenta seu probationes.

65. Praeter argumentum physicum, quod natum est complere probationem per partium confessionem et per testes septimae manus aliosque testes exhibitam, adsunt quoque argumenta et adminicula; et argumentis accensemus documenta; adminiculis, indicia et praesumptiones.

CAPUT IX.

De examine testium septimae manus

66. Inchoatur horum testium examen ab iis qui inducti sunt a parte oratrice, et quidem a parentibus proximioribus, qui praesumuntur magis instructi, postea audiantur extranei, uti famuli et viciniores, si qui sint. Hic ordo tamen in auditione testium non est necessario servandus, et integrum est iudici unum alteri praeferre. Si quis testis inductus obierit, vel in iudicium non comparuerit, servetur n. 26; si vero eo, ubi tribunal adunatur, se conferre non possit, audiatur iuxta normas nn. 23 et 24.

67. In his testibus examinandis iudex, delato iureiurando et factis interrogationibus generalibus, testi proponat interrogationes sibi a vinculi defensore tradendas clausas et obsignatas, quae esse poterunt uti habentur in Appendice, specimine n. XXVII.

68. § 1. Antequam testis dimittatur, ei legendae sunt responsiones factae a coniuge qui eum uti testem produxit, ut dicat utrum asserta in attestatione veritati respondere censeat et fide digna habeat.

§ 2. Si iudici non videatur opportunum aut non expedire integram depositionem legere, vel quia ea refert quae verosi-

militer coniux non vult testibus nota fieri, vel quia periculum subesse potest collusionis, ex parte legere valet, vel etiam nullimode legere, salva eiusdem iudicis facultate proponendi appositas interrogationes *ex officio,* vel curandi ut a defensore vinculi opportunae contestationes fiant in interrogatorio ab eodem de more concinnando, firmo praescripto n. 47.

69. Expleto examine, legitur testi integra depositio, rogatur an menti suae plene respondeat, et, vel habito responso affirmante vel factis expetitis emendationibus aut additamentis et praestito duplici iureiurando, iuxta n. 46, subscribit ipse, et cum eo subscribunt iudex, defensor vinculi et actuarius.

70. In his testibus excutiendis, maxime curandum est, ut si quid protulerint causae meritum directe attingens, semper ab eis exquiratur *unde, quomodo, quando* haec didicerint, ut pateat an tempore non suspecto ea cognita habuerint (Canon 1774). Causam enim valde iuvant partium confessiones extraiudiciales tempore non suspecto prolatae; eo nempe tempore, quando de hac quaestione introducenda ne cogitabatur quidem, nec aliae suberant rationes veritatem occultandi aut falsum proferendi.

CAPUT X.

De testibus, praeter alios septimae manus, ad istantiam partium vel ex officio a iudice inducendis

71. § 1. Cum proprium sit testimonii septimae manus ut sit argumentum credibilitatis (Can. 1975, § 2), quoties alios testes inducere praestat ad complendam probationem, hi de scientia magis quam de credibilitate sint oportet.

§ 2. Hi producuntur vel *ex officio* a iudice, audito vinculi defensore, aut hoc instante; vel ad instantiam partium.

72. Quoties prudenter timeatur collusio inter partes, aut inter testes septimae manus et partem producentem, vel ipsum testimonium septimae manus insufficiens habeatur, nisi aliis argumentis aliunde veritas evincatur, citandi sunt testes *ex officio.*

73. Quod si argumentum physicum impotentiam neque probet neque excludat, aut physicam mulieris integritatem non adesse arguat, sed non excludat laesiones potuisse aliunde oriri quam ex naturali matrimonii usu, tunc expendat iudex an sit locus complemento probationum aut per testes aut per alia argumenta.

74. Interrogationes his non minus ac aliis testibus faciendae, sunt a defensore vinculi concinnandae, ac iudici exhibendae modo et ratione supra determinatis; iudici autem fas est, alias interrogationes *ex officio* proponere.

CAPUT XI.

De instrumentis

75. Redditas attestationes magis explicant, quatenus referat, et corroborant instrumenta. Haec, alia sunt *publica* et alia *privata*. In his causis inter instrumenta publica potissimum habetur fides authentica celebrati matrimonii, e paroeciae regestis deprompta, quoties haec in causae instructione requiratur. His accensentur acta et sententiae tribunalis civilis, si apud illud de controverso matrimonio aliqua causa pertractata fuerit. Documenta privata communiter sunt epistolae a coniugibus inter se vel ad alios datae, et scriptae attestationes in favorem unius vel alterius partis exaratae.

76. Utriusque generis documenta aliquando partes sponte exhibent, sed aliquando iudicis erit ex auctoritate sua perquirere, et de iis partes vel testes in examine interrogare. Si pars aut testis documentum exhibere recuset, iudex, audito vinculi defensore, vel eo postulante, decreto suo statuat an et quomodo eiusdem documenti exhibitio facienda sit (Canon 1824).

77. § 1. Documenta quaecumque fidem non faciunt, nisi constet esse authentica et genuina.

§ 2. Documentum privatum, uti epistola, etc., probat pro vel contra suum auctorem, perinde ac attestatio seu confessio extraiudicialis, cuius pondus ex circumstantiis desumitur, et

in genere haec documenta aestimantur maxime a tempore quo prolata fuerunt, ad normam n. 70.

78. Si documentum alicuius momenti in causa exhibeatur carens debitis formis pro fide facienda, iudicis erit curare *ex officio*, aut ad instantiam defensoris vinculi aut partium, ut quae necessaria sunt compleantur, ne causa tali adiumento privetur.

CAPUT XII.

De indiciis et praesumptionibus

79. § 1. Matrimonium non praesumitur mansisse inconsummatum; quare in singulis casibus allegata causa inconsummationis sedulo investiganda est.

§ 2. Factum vero cohabitationis coniugum *praesumptionem iuris* constituit de secuta consummatione (Can. 1015, § 2).

80. Matrimonii inconsummatio ex sequentibus causis impedientibus, ut plurimum, procedere solet: *a*) ex defectu veri consensus in matrimonium; *b*) ex vi et metu; *c*) ex aversione et odio in ipso vitae coniugalis initio exortis inter sponsos; *d*) ex impotentia, sive absoluta sive relativa.

81. Externa vitae coniugalis ratio et circumstantiae, ex quibus ad causam inconsummationis adstruendam argumentari fas est, illud probationis genus constituunt, quod *ex indiciis et praesumptionibus* appellatur. Indicia et praesumptiones sunt *levia, gravia* et *gravisima*, pro minore vel maiore cum inconsummationis causa necessitudine.

82. Facta vero et circumstantiae, quae unam vel alteram ex causis n. 80 recensitis indicant, praesumptionem faciunt in favorem inconsummationis.

83. Iudicis et defensoris vinculi officium erit aptis interrogationibus e testium ore colligere, cuinam causae inconsummatio tribuenda sit. Res est magni momenti, cui omni cura adlaborandum est; facta enim et circumstantiae quae unam alteramve ex praefatis causis indicant et determinant, probationes iam aliunde collectas valde corroborant.

CAPUT XIII.

De ispectione corporali

84. § 1. In causis inconsummationis requiritur uxoris inspectio corporalis, per peritos facienda, uti infra exponetur, nisi ex adiunctis inutilis evidenter appareat; quo in casu processus ad exitum erit perducendus ex morali argumento, adminiculis suffulto, seu aliis probationibus ad normam n. 64.

§ 2. Viri corporalis inspectio quae, ut plurimum, valde confert ad tute adstruendum factum inconsummationis, non est praetermittenda cum inconsummatio tribuatur eius impotentiae absolutae vel relativae, et aliunde de uxoris physica integritate plena non habeatur probatio.

§ 3. Hisce in casibus si vir renuat se inspectioni subiicere, probabiles rationes huius recusationis sunt in actis referendae, et suppletoriae probationes, si haberi possint, erunt comparandae.

85. In casu dubii de corporali inspectione facienda aut omittenda, decisio spectat ad iudicem, audito vinculi defensore, salvo iure defensoris vinculi se opponendi decreto, ad tramitem nn. 22 et 28.

86. Ispectio corporis uxoris omittitur, utpote inutilis, in sequentibus casibus: *a*) si consummatio haberi non potuit, quia nec tempus nec locus nec modus adfuerunt matrimonii consummandi; *b*) si certo iam constet de mulieris defloratione (can. 1976).

87. Iudicis est peritos, medicos aut obstetrices eligere vel designare, audito vinculi defensore (cf. in Appendice n. XXVIII). Ii prae ceteris eligantur, qui non tantum idoneitatis testimonium a competente magistratu obtinuerunt, sed etiam qui artis suae experientia insignes habentur, et honestatis ac religionis fama praefulgent. Qui non habiles ad testimonium ferendum sunt iuxta can. 1757, nec ad periti munus exercendum assumi possunt. Item nec assumantur, qui in adiunctis versantur in can. 1613, § 1, adnotatis, si nempe ob consanguinitatem vel affinitatem cum partibus, aut pro-

pter amoris vel odii sensus erga partes easdem, aut etiam ob commodum vel incommodum sibi obveniens ex causae decisione, suspicio de eorum probitate in iudicio vel voto ferendo oriri possit.

88. Ad periti munus exercendum etiam illi ne admittantur, qui coniuges private inspexerint circa factum cui innititur petitio declarationis inconsummationis. Licet tamen et congruit hos tamquam testes inducere (Can. 1978); nunquam tamen praetermittatur, quatenus fieri possit, eorum scriptas attestationes referre inter instrumenta.

89. § 1. Ad mulierem vero inspiciendam duae obstetrices, quae legitimum peritiae testimonium habeant debitaque in arte sua experientia polleant, *ex officio* designentur. Integrum est tamen mulieri inspiciendae expetere ut loco obstetricum, a duobus medicis, pariter *ex officio* designandis, inspiciatur; quod et Ordinarius, si necessarium duxerit, decernere potest, audito vinculi defensore, praecipue ob aliquod dubium fraudis, scilicet quod praesidia artis ahdibita sint ad reparandas partium laesiones (Can. 1979, §§ 1-2).

§ 2. Quod si, ob singulares locorum circumstantias, impossibile vel valde difficile aliquando fuerit, ut duae peritae obstetrices aut duo medici reperiantur, tolerari poterit ut inspectio fiat ab uno perito et ab una obstetrice (cfr. *Instr. S. C. S. O.*, a. 1883, *Quemadmodum matrimonii foedus*, tit. VI, art. 5, n. 49). Si, ob easdem circumstantias, neque hoc obtineri valeat, tolerari etiam poterit ut inspectio fiat a duabus matronis seu mulieribus nuptis, moribus et aetate gravibus, et ad rem idoneis. Quoties peritia a duabus matronis, uti supra, peracta fuerit, curandum erit ut earum relationes examinandae subiiciantur uni vel duobus in arte peritis, ibidem vel alibi commorantibus, ut suum proferant votum circa conclusiones ex matronarum relationibus deducendas

90. In inspectione mulieris, sive ea a peritis medicis, sive ab obstetricibus fiat, sequentia observanda sunt: *a*) plene serventur christianae modestiae regulae; *b*) adstet semper honesta matrona *ex officio* designanda; *c*) inspectionem exsequantur seorsim singuli, vel singulae; *d*) in exploratione ho-

nesta quidem methodus et cautelae adhibeantur, prout scientia ac prudentia opportune suggesserit; et de iis quae adhibita sint, mentio in relationibus fiat; *e*) pariter singuli vel singulae seorsim conficiant relationes intra terminum a iudice praefinitum tradendas; *f*) relationes sive a medicis sive ab obstetricibus confectas, iudex alterius medici examini subiicere potest, si id opportunum existimaverit (Can. 1979-1980).

91. In matronam eligatur mulier aetate gravis, religione et honestate spectabilis, corruptioni et decepticni non facile obnoxia, quae, praestito iureiurando, officii sui partes eiusque gravitatem intelligat ac de eo rite functo, coram tribunali relationem reddere valeat (cf. in Appendice sub n. XXIX).

92. Ratio exsequendae inspectionis haec erit. Iudex locum designat, in quo ea est peragenda, et mandabit quod mulier prius balneo subiiciatur, servatis suetis conditionibus aquae tepentis, et temporis, quod non brevius dimidia hora esse debet. Quod si designati periti, medici vel obstetrices, censeant in casu balneum vel omnino esse inutile, vel potius nocivum, iudex, perpensis adiunctis, rem definiat, audito defensore vinculi, prout in casu magis expedire iudicaverit. Periti autem expleant suum examen, ut distincte referre valeant de singulis signis quae mulieris integritatem inferre sinunt, vel potius eidem refragantur; in id etiam caute advertentes, ne apparens integritas callide, medicinalis artis ope, fingi potuerit.

93. § 1. Periti, medici aut obstetrices, suam seorsim scriptam relationem peragant (cf. n. 90, *e*) circa conclusiones ex inspectione deductas, et postea erunt singuli a iudice interrogandi, iuxta interrogationes seu articulos a defensore vinculi antea concinnatos, iisque ipsi, praestito iureiurando, respondeant; et examen absolvatur servato praescripto n. 46. Vinculi autem defensor peculiares articulos et interrogationes praesertim eruat ex relationibus ab iisdem peritis exhibitis (Can. 1981; cf. in Appendice, nn. XXX et XXXII). Periti vero perspicue indicare debent qua via et ratione processerint in peragenda inspectione, et quibus potissimum argumentis sententia ab ipsis prolata nitatur (Can. 1801, § 3).

§ 2. Quod si periti discordent sive quoad ea quae perlustrando repererint, sive in conclusione finali iudex poterit relationem unius periti submittere iudicio alterius, ut explicet ex quo repetenda sit contradictio; et, si casus ferat, etiam permittere poterit ut inspectio fiat collegialiter et votum collegiale habeatur, sed deinde seorsim periti interrogentur (cf. Can. 2031, n. 5); nisi idem iudex peritiorem eligere magis expedire iudicaverit, qui super relatis a primis peritis suffragium proferat, facta ei quoque, si casus ferat, potestate inspectionem denuo peragendi; aut novos de integro peritos adhibere (cf. Can. 1802 et 1803).

94. Postremum in iudicio vocanda erit matrona, quae inspectioni adstitit, et, delato iureiurando, ad rem interrogetur (cf. in Appendice, n. XXXI).

95. Ad inspiciendum virum, si casus ferat, duo periti medici *ex officio* deputari debent (Can. 1979, § 1); qui, praestito iureiurando de munere fideliter implendo et de secreto servando (cf. in Appendice, n. XXIX), monendi erunt, ut artis praesidiis utantur licitis et honestis, et referant, iuxta medicinalis doctrinae placita, indicia seu argumenta quae potentiam virilem adstruere aut excludere videantur.

CAPUT XIV.

De processus conclusione

96. § 1. Iudex processum clausum ne decernat, nisi prius vinculi defensor declaraverit sibi nihil inquirendum supesuperesse, et etiam ad hoc auditis partibus.

§ 2. Antequam decretum conclusionis edat, iudex acta attente consideret, partium ac testium depositiones inter se et cum ceteris e processu emergentibus conferat, et videat an sint quaedam incompleta et contradictoria aut ambigua. Si quae huius generis repererit, audito vinculi defensore, partes aut testes, prout opus fuerit, iterum citet et, appositis interrogationibus, quae vel supplenda vel declaranda sunt exquirat, aut etiam per testes ex officio inductos, suppleri vel declarari satagat.

§ 3. Item antequam conclusioni annuat vinculi defensor, actorum examen instituat, ut expendat utrum ea sint ulterius complenda ad normam harum regularum (cf. in Appendice, n. XXXIII).

97. § 1. Clausa processus instructione, iudex neque ad ipsius processus publicationem, neque ad sententiam super ipsa inconsummatione et causis ad dispensandum deveniat (Can. 1985).

§ 2. Nihilominus si partes aut harum altera, post conclusionem, petant sibi ostendi vel testium nomina aut eorum responsiones vel aliquod documentum, idque postulent gravi de causa, iudex, audito defensore vinculi, necnon parte cuius intersit, si casus ferat, hoc indulgere valet, intra limites tamen probatae necessitatis et excluso quovis periculo collusionis et corruptionis: de publicatione autem processus aut alicuius partis, expressa mentio in actis facienda erit.

98. § 1. Clauso processu, vinculi defensori acta omnia tradantur, qui suas animadversiones conficere debeat, in primis animadvertens an regulae hucusque traditae in processus instructione observatae fuerint, necne.

§ 2. Deinde acta omnia una cum voto scripto Episcopi (can. 1985), vel, sede vacante, Vicarii capitularis vel Administratoris apostolici, vel alterius legitime Episcopi vices facientis (Can. 429 et 431), et defensoris vinculi, transmittantur ad H. S. C.

99. Praesentes regulae in instruendis processibus de non consummatione semper erunt adamussim observandae, et si aliquando ab eis aequa ratio suadeat esse recedendum, iudex de huius rei motivo rationem reddat in actis, ut constet de inobservantiae causa.

100. Harum regularum observantia Ordinariis potissimum committitur, et ad eos spectat a seipsis constituta tribunalia vigilare, ne ab iis deflectant. Ipsis propterea integrum est, pro sua prudentia, quovis processus momento, acta examinare, consilia et monitiones officialibus dare, et eos, gravi de causa, ipso iudice subdelegato non excluso, audito vinculi defensore, removere. Si quando his remediis fuerit

locus, vel aliud secutum sit inconveniens, cum acta transmittuntur, de re Apostolica Sedes certior reddatur.

101. § 1. Acta iudicialia, sive *acta causae*, sive *acta processus* (cf. can. 1642), transmittantur ad H. S. C. in authentico exemplari, cum indice omnium actorum et documentorum, ad normam can. 1644.

§ 2. Quod si valde grave sit, sive ob necessarias expensas, sive alia de causa, exemplar authenticum ad S. C. transmittere, fas sit Curiae transmittere ipsa acta originalia, iis tamen cautionibus adhibitis, quae pro locorum conditionibus suppetunt ad tutam documentorum transmissionem.

CAPUT XV.

De rescripto pontificiae dispensationis eiusque expeditione

102. Dispensatio super matrimonio rato et non consummato a Romano Pontifice directe conceditur, et expeditur per rescriptum in forma gratiosa, ab E.mo Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, vel ab alio E.mo Cardinali eius vice fungente, nec non a R. P. D. Secretario, aut a Subsecretario eiusdem S. C. subsignatum.

103. Attenta eiusmodi forma, rescriptum effectum habet a temporis momento quo in die audientiae Summus Pontifex dispensationem concessit, dummodo tamen eo momento preces veritati nitantur, tum quoad matrimonii inconsummationem, tum quoad dispensationis causas (Can. 41). Quod si unum vel alterum desit, rescriptum, utpote obreptionis vel subreptionis vitio infectum, impetranti minime suffragatur.

104. In rescripto dispensationis super matrimonio rato et non consummato continetur, quamvis non expressa, vi can. 1053, altera dispensatio, si forte opus sit, ab impedimento ex adulterio cum promisione vel attentatione matrimonii proveniente.

105. Dispensationis rescriptum, solutis expensis, parti impetranti idemque postulanti traditur aut remittitur, et Ordinario exhibendum est (Can. 51); verum ex officio ipsa Con-

gregatio eidem Ordinario exemplar authenticum rescripti dispensationis directe dabit.

106. Ordinarius, de dispensatione per authenticum documentum certior factus, parocho tum loci contracti matrimonii tum suscepti baptismatis sive viri sive mulieris, prouti casus ferat, quamprimum mandabit ut in libris matrimoniorum et baptismorum de obtenta dispensatione adnotatio fiat.

Datus Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 7 maii, anno 1923.

M. Card. Lega, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† A. Capotosti, Ep. Thermen., *Secretarius.*

III.

APPENDIX

SEU PRAECIPUORUM ACTORUM FORMULAE, QUAE UTILITER ET OPPORTUNE ADHIBENTUR IN HIS CAUSIS.

I.

SUPPLEX LIBELLUS UXORIS ORATRICIS.

Beatissime Pater,

N. N., filia ..., e dioecesi ..., civitate..., annos nata ..., conditione ..., domicilium habens in civitate ..., via ..., sub paroecia ..., ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provoluta, quae sequuntur exponit:

Die ..., mense ..., anno ..., oratrix, tunc annum agens ..., praemissis denunciationibus a iure statutis ac ritu civili, matrimonium, in paroeciali ecclesia ..., cum *N. N.*, filio ... e dioecesi ..., et civitate ..., tunc annorum ..., professione ..., rite contraxit.

Sed hoc matrimonium, contra oratricis ingenium, ad exitum perductum fuerat ab eius matre, quae omnem movit lapidem ut filiae animum sibi conciliaret; et cum nullum ab eiusmodi nuptiis daretur effugium, oratrix ad matrimonium celebrandum accessit, sperans fore, ut sensim sine sensu amor erga virum enasceretur.

At spem fefellit eventus, nam coniugali consortio vix instituto, vir pravam indolem pandidit, ideoque defectus amoris in aversionem prorupit. Quapropter quindecim ab inito matrimonio diebus elapsis, vir, oratrice relicta, ad paternam domum remeavit; postero autem die, ipsa, urgente matre, virum assequi debuit; cum quo tamen vix quinque diebus transactis, ad matrem reversa est, malens potius mori, quam cum eo intolerabilem vitam ducere.

Tum ex hoc capite vir separationem a civili tribunali petiit

atque obtinuit. Oratrix vero, apprime sibi conscia de non secuta matrimonii consummatione, tum ob perversam viri voluntatem, tum ob defectum amoris, imo aversionem ipsius oratricis, ad pedes Sancititatis Vestrae confugit, Apostolicam dispensationem super matrimonio rato et non consummato misericorditer implorans.

Rationes autem ad petendam dispensationem sunt: 1° invincibilis oratricis aversio erga virum, absque ulla spe reconciliationis; 2° incontinentiae periculum, attenta eius iuvenili aetate; 3° desiderium transeundi ad alias nuptias, eidem iuper oblatas.

Et Deus, etc.

Datum ..., die ..., mensis ..., anno ...

N. N. (Subscriptio, si fieri potest, manu ipsius oratricis).

Si libellus detur a viro, similiter exaratur, mutatis mutandis, genuina peracta factorum expositione.

II.

LITTERAE ORDINARII AD PAROCHUM, VEL AD ALIUM IN CASU MAGIS IDONEUM, PRO INFORMATIONE ET CONIUGUM RECONCILIATIONE.

Rev.mus Ordinarius *N.*, adnexum libellum *N.*, uxoris oratricis, transmitti iubet ad Reverendum *N.*, parochum *N.*, eique committit ut reconciliationem oratricis cum coniuge *N.*, pro viribus et pastorali prudentia, per se aut per alium, curet. Quatenus vero praefati coniuges ad concordiam adduci nequeant, idem parochus distincte instructam hanc Curiam reddat de antecedentibus, concomitantibus et subsequentibus matrimonii celebrationem, nec non de causis petitae dispensationis matrimonii inter eos initi; ac simul de probitate et credibilitate tum viri tum uxoris: et congruit ut allegetur fides de huius matrimonii celebratione ex integro, prout iacet in regesto matrimoniorum.

Interim, etc. Die ...

L. ✠ S.

N., Vic. Gen.

N., Curiae Ep. cancellarius.

Si forte parocho non expediat dare mandatum reconciliationis coniugum, alii personae prudenti et idoneae (si fieri queat, sacerdoti) committi potest.

III.

RESPONSUM PAROCHI, SI PARTES RECONCILIATIONEM RENUANT.

Ill.me ac Rev.me Domine,

N. (*mulierem, si eam antea interrogari expediat*), antea alloqui curavi, quae sui matrimonii vicissitudines exposuit, et suam valetudinem coniugali convictu labefactari, necnon necessitatem dissolvendi matrimonii monstravit. Post eam allocutus sum virum, qui ad cohabitationem restaurandam se paratum exhibuit, sed omnino desperat, ob uxoris pervicaciam.

In reconciliatione non ulterius insistendum censui, cum matrimonium saltem absque amore ex parte mulieris initum videatur, ac verisimilis sit inconsummatio, et aliunde periculum incontinentiae exstet ex parte oratricis, quod ut gravis causa pro dispensatione adducitur. Ex percontationibus peractis, de probitate et credibilitate utriusque coniugis satis constare videtur, ita ut fides eorum assertionibus praestari possit.

Praesentibus allegatur testimonium de celebratione matrimonii dictorum coniugum, in authentico exemplari.

Datum ex paroecia *N.*, die ...

L. ✠ S.

Obsequentissimus subditus
N.

IV.

INFORMATIO ORDINARII AD S. C. DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM ET PETITIO FACULTATIS CONFICIENDI PROCESSUM.

E.me ac Rev.me Domine,

Transmitto ad Em. Vestram Rev.mam adnexum libellum, quo mulier *N.* dispensationem implorat matrimonii ab eadem con-

tracti cum *N.*, utpote tantum rati; ac simul transmitto documenta (*ut informationem parochi et alia quae habeantur*), necnon testimonium de celebratione matrimonii, ex quibus colligi potest oratricem fidem mereri. Quapropter cum libellus fundamento niti videatur, illum commendo, humiliter postulans, ut quatenus E. V. visum fuerit, facultas mihi tribuatur conficiendi processum super eiusmodi matrimonio, quod contenditur ratum et non consummatum, facta expressa facultate subdelegandi.

Interim sacram Purpuram reverenter deosculor.

Datum ..., ex Curia Ep.li, die ...

N., Episcopus.

L. ✠ S.

N., Curiae cancellarius.

V.

ACTUS SUBDELEGATIONIS PERACTAE AB ORDINARIO ET DEPUTATIONIS OFFICIALIUM.

Cum E.mus ac Rev.mus Dominus ..., S. R. E. Card., Praefectus S. C. de disciplina Sacramentorum, litteris datis die .... Nos instructos fecisset de mandato ab eadem S. C. Nobis commisso, ut processum conficiendum curemus ad normam iuris, praesertim *Regularum* eiusdem S. C. diei 7 maii 1923, super asserta inconsummatione matrimonii contracti ab *N.* cum *N.* ..., et causis petitae dispensationis, expresse addita potestate subdelegandi; Nos per praesentes litteras ad eiusmodi processum conficiendum Iudicem subdelegamus Rev.mum D. *N.*, qui sese gerat in omnibus ad tramitem Codicis I. C. et iuxta citatas *Regulas*, necnon iuxta peculiares instructiones a S. C. in praefatis litteris datas. Simul autem eligimus ac deputamus:

Defensorem vinculi R. D. *N.*

Actuarium R. D. *N.*

Datum ... ex aedibus Nostris, die ... mensis ... anno ...

N., Episcopus.

L. ✠ S.

N., Cancellarius.

Si gravitas causae vel alia difficultas id suadeat, eodem decreto, vel in causae decursu, simili forma eliguntur qui vice iudicis subdelegati fungatur, necnon defensor vinculi et actuarius *substituti.*

VI.

TRIBUNALIS CONSTITUTIO

DIOECESIS *N.*

DISPENSATIONIS MATRIMONII *N.-N.*
QUOD CONTENDITUR RATUM ET NON CONSUMMATUM

Sessio I.

Anno Domini ..., mense ..., die ..., hora ..., in urbe ..., in aedibus ..., adsunt:

Iudex subdelegatus Rev.mus D. *N.*

Defensor vinculi Rev. D. *N.*

Actuarius Rev. D. *N.*

Rev.mus Iudex communicat:

1) Litteras S. C. de disciplina Sacramentorum, datas die ..., quibus Ordinario *N.* committitur instructio processus in causa super matrimonio quod contenditur ratum et non consummatum inter *N.* et *N.*

2) Litteras Rev.mi Ordinarii *N.*, datas die ..., quibus (*nisi ipse per se gerat suum munus*) subdelegat officium iudicis eidem Rev.mo D. *N.*; nec non deputat alios officiales supra scriptos: videlicet ut defensorem vinculi Rev. D. *N.*, et ut actuarium Rev. D. *N.*

3) Supplicem libellum *N.*, uxoris oratricis, pro instituendo processu.

Tum Iudex instructor (*nisi sit ipse Episcopus*, cf. *Regulas*, n. 19) ac singuli ministri tribunalis iusiurandum praestant de suo cuiusque officio rite ac fideliter adimplendo et de secreto servando, formulis adhibitis quae exstant in Appendice *Regularum* S. C. (v. infra nn. VII-IX).

Quibus peractis, Iudex decernit ut exemplar libelli intimetur

viro, parti conventae, necnon ut idem libellus allegetur actis inquisitionis, prout etiam praefatae litterae S. C. et litterae subdelegationis Rev.mi Ordinarii.

Item Iudex constituit diem ..., horam ..., et aedes ... pro tribunalis proximo conventu, in quo oratrix examini subiiciatur, mandans ut eadem citetur; ac D. *N.* deputat ut cursorem, qui schedas citationis afferat.

De hisce omnibus redacta est praesens relatio, quae subscribitur a Rev.mo Iudice subdelegato et a ministris tribunalis.

Die et loco ut supra.

L. ✠ S.

N., Iudex subdelegatus.
N., defensor s. vinculi.
N., actuarius.

VII.

IUSIURANDUM PRAESTANDUM A IUDICE SUBDELEGATO.

Ego *N.*, a Rev.mo D.no Ep. *N.*, subdelegatus iudex instructor (*vel* deputatus ut vices geram iudicis instructoris) in processu super matrimonio quod contenditur ratum et non consummatum inter *N.* et *N.*, iuro me officium iudicis instructoris rite ac fideliter impleturum, servatis, quantum per me fieri poterit, praescriptionibus C. I. C., ac potissimum *Regulis* a S. C. de disciplina Sacramentorum editis die 7 maii 1923, quavis personarum acceptione posthabita, et secretum servaturum. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia, quae manibus meis tango.

VIII.

IUSIURANDUM DEFENSORIS VINCULI.

Ego *N.*, a Rev.mo Domino Ordinario *N.* defensor vinculi legitime deputatus (*vel* defensor vinculi substitutus), pro instruendo processu super matrimonio quod contenditur ratum et non consummatum inter *N.* et *N.*, iuro me munus mihi collatum diligenter et incorrupte expleturum, iuxta praescriptiones C. I. C. et

Regulas a S. Congregatione de disciplina Sacramentorum editas die 7 maii 1923; et omnia voce ac scriptis deducturum, quae ad matrimonii iura tuenda conferri poterunt, posthabito omni humano respectu; atque officii mei secretum religiose servaturum. Sic me Deus adiuvet, etc.

IX.

IUSIURANDUM AB ALIIS OFFICIALIBUS PRAESTANDUM.

Ego *N.*, iuro me munus actuarii (*seu* actuarii substituti) in processu super matrimonio quod contenditur ratum et non consummatum inter *N.* et *N.*, mihi ab Ill.mo et Rev.mo Domino Ordinario *N.* commissum, rite ac fideliter, iuxta praescriptiones Codicis I. Can. atque *Regulas* S. Congregationis de disciplina Sacramentorum diei 7 maii 1923, in omnibus expleturum, et de rebus quas ratione mei officii cognoscam, secretum omnimode servaturum. Sic me Deus adiuvet, etc.

X

DECRETUM PRO CITATIONE UXORIS ORATRICIS

Anno Domini ..., die ..., mensis ..., in aedibus palatii episcopalis ..., coram Rev.mo D. *N.* Iudice ..., Rev. D. *N.* defensore vinculi, meque infrascripto actuario:

Visis litteris Sacrae Congr. de disciplina Sacramentorum diei ..., quibus R.mo Ordinario ... facultas tribuitur conficiendi processum super asserta inconsummatione matrimonii inter *N.* et *N.*, et causis petitae dispensationis;

Attentis litteris Rev.mi Ordinari ..., diei ..., quibus Rev.mum *N.* subdelegat ad eiusmodi processum instruendum;

Idem Iudex subdelegatus, audito vinculi defensore, ad examen uxoris oratricis procedendum esse decrevit; ideoque dictam uxorem citari mandat, ut compareat coram praefato Iudice, in aula sessionum huius s. Tribunalis, in via ..., num. ..., anno ... mense ..., die ..., hora ..., ut examen subeat in causa matrimoniali a se intentata.

Simul nuncium dat defensori vinculi, ut ante praedictum diem exhibeat interrogatoria clausa et obsignata, uxori oratrici proponenda; atque ut examini praefatae mulieris, loco, die et hora ut supra, intersit.

L. ✠ S.

N., Iudex instructor.
N., defensor vinculi.
N., actuarius.

De his quae mandat et iubet iudex, in actis actuarius refert; et hoc semel pro semper advertisse sufficiat.

Similiter, mutatis mutandis, conficitur decretum pro citationibus partis conventae ac testium.

Insuper Iudex mandat, ut interea a parochis tam uxoris oratricis, quam viri conventi, ac testium qui sunt excutiendi, sin minus a Curia, exquirantur litterae testimoniales seu documenta, quibus, accuratiore modo quo fieri possit et sub secreto, significentur notae de honestate, religione et veracitate utriusque coniugis ac testium, necnon alia referantur quae necessaria et opportuna ad eorundem depositiones aestimandas videantur.

XI

LITTERAE IUDICIS AD PAROCHUM PARTIUM, PRO INFORMATIONE SUPER PROBITATE ET CREDIBILITATE CONIUGUM ET TESTIUM.

(*Sub secreto*)

Cum ex facultate S. C. de Disciplina Sacramentorum diei ..., et ex subdelegatione Rev.mi Ordinarii huius dioecesis, in hoc Tribunali instruatur causa super asserta inconsummatione matrimonii initi inter *N.* et *N.*, et causis imploratae Apostolicae dispensationis, instante praefata uxore *N.*, necesse est, ad normam *Regularum* eiusdem S. C. diei 7 maii 1923, ut sedulo investigetur et legitimum testimonium praebeatur de utriusque coniugis ac testium qui inducuntur credibilitate.

Quapropter infrascriptus Iudex instructor in eadem causa, praesentibus mandat R. D. *N.*, sponsorum parocho, ut pro pasto-

ralis sui officii sanctitate et sollicitudine, ad rem accurate inquirat et distincte huic Tribunali significet notas de religione et honestate utriusque coniugis ac testium qui inducuntur videlicet...: an nempe praecepta religionis adimpleant, an bonis moribus sint imbuti, qua fama gaudeant et an eis credi debeat, etiam cum deponant de rebus quae ipsorum intersint, seu circa assertam matrimonii inconsummationem.

Insuper, pro sua prudentia, idem parochus referre velit de omnibus aliis quae ad utriusque coniugis ac testium depositiones rite aestimandas necessaria et opportuna videantur, ita ut sufficiens plenum testimonium ad praefatam S. Congr. trasmitti possit, circa rem quae ad controversum matrimonium pertinet.

Quod si coniuges vel testes vel aliqui eorum non fuerint cogniti, opportunas inquisitiones instituat, ope sacerdotum ecclesiae paroeciali addictorum, vel alius prudentis personae, sibi bene visae, et quidem sub secreto, sed ita, ut congruae et certae notitiae colligantur.

Datum ex aedibus... die... anno...

L. ✠ S.

N., Iudex instructor.
N., actuarius.

Si sponsi in diversis paroeciis commorentur, parochi utriusque paroeciae sunt rogandi.

Quod si coniuges ac testes potiusquam ubi impraesentiarum degunt, alia in paroecia magis cogniti fuerint, informationes ab illo parocho opus est exquirere, vel etiam ab utroque parocho utriusque commorationis.

Quoad etiam peritos, qui et ipsi probitatem quidem et credibilitatem praeseferre debent, non semel usuvenit quod eiusmodi informationes sint exquirendae.

XII.

INFORMATIO PAROCHI.

Specimen responsionis a parocho dandae, si informationes sint respective parti, aut partibus, aut testibus favorabiles; factis

in textu litterarum necessariis mutationibus, pro subiecta materia.

Quod attinet ad informationes a Rev.mo Iudice instructore in causa... expetitas litteris diei ..., infrascriptus parochus Ecclesiae *N.* pro suo munere respondet, se *N.* uxorem oratricem, in finibus huius paroeciae commorantem, pluribus abhinc annis perspectam habere; ac praesentibus litteris, quatenus sibi constiterit, fidem facit eandem mulierem religione et honestis moribus imbutam esse, ac bona existimatione gaudere, ita ut mendacio obnoxia non existimetur. Quibus attentis, oratrix incapax periurii putatur, etiam in sui favorem, et credibilis apparet quoad assertionem de inconsummatione sui matrimonii. Ceterum cum idem parochus, occasione porrecti libelli pro huius causae introductione, rogatus a Rev.mo Ordinario, investigationes peregerit et cum praefata muliere collocutus fuerit, censuit eandem sinceram et veridicam esse.

Quod autem ad virum conventum spectat, etc.

In fidem.

Ex paroecia ..., die ..., anno ...

L. ✠ S. *N.*, parochus.

Ex adverso, si informationes non sint favorabiles, parochus iis utatur verbis, quae a veritate minime deflectant, quaeque prudentia pro diversis casibus suggerat.

Si parochus sponsos, vel testes, vel peritos non probe noverit, neque certas de iisdem informationes aliunde, pro sua conscientia, colligere queat, iudicem in sua responsione, adductis rationibus, aperte doceat.

Iudex autem tunc alias personas probas et apprime instructas per se rogabit, vel, si ita censuerit, per Ordinarium informationes ad rem exquiret.

XIII.

LITTERAE IUDICIS AD ORDINARIUM (QUOTIES HIC NON SIT IUDEX, ET EIUS OPERA UTILITER POSTULETUR) PRO EXQUIRENDIS INFORMATIONIBUS.

Ill.me ac Rev.me Domine,

In causa dispensationis matrimonii *N.-N.*, quae ex subdelegatione facta ab A. T. die ..., in hoc Tribunali instruitur, cum parochus sponsorum, (*vel* testium ..., *vel* peritorum ...) apposite rogatus, responderit se eosdem coniuges (*vel* testes ..., *vel* peritos ...) haud bene cognitos sibi habere, neque informationes tuto haurire aliunde posse, et hoc Tribunal eiusmodi informationes ex aliis fontibus excipere non potuerit, A. T., pro sua ampliore auctoritate et rerum ac personarum cognitione, dignetur directe inquirere de religione, honestate et veracitate partium (*vel* testium, *vel* peritorum), ita ut eorum depositiones seu relationes rite aestimari valeant.

Interim, etc.

Datum ..., die ..., anno ...

L. ✠ S.

Addictissimus famulus
N., Iudex subdelegatus.
N., actuarius.

XIV.

LITTERAE ORDINARII AD COLLIGENDAS PRAEFATAS EXTRAORDINARIAS INFORMATIONES.

(*Sub secreto*)

Ill.me Domine,

Cum ex facultate S. Congr. de disciplina Sacramentorum, in hoc dioecesano Tribunali, ad instantiam uxoris *N.*, instruatur causa super matrimonio ab eadem muliere inito cum *N.*, quod asseritur minime fuisse consummatum, et ideo a Summo Pontifice gratia dispensationis efflagitetur; cumque Nobis constiterit te religione

et probitate vitae, nec non personarum ac rerum scientia et prudentia pollere, atque tibi praefatam mulierem oratricem (*vel* testis *aut* periti personam) cognitam esse, praesentibus litteris te rogamus ut, pro caritate et obsequio quibus erga Ecclesiam praestas, velis Nobis accuratas et distinctas praebere notitias, secreti lege quidem interposita, de religiositate, honestate et veracitate dictae mulieris (*vel* testis *vel* periti), praesertim in iudiciali et iurata assertione circa assertam matrimonii inconsummationem, ita ut dignoscatur utrum in re tanti momenti fide digna habenda sit necne.

Interim Deus, etc.

Datum ..., die ..., anno ...

N., Ordinarius.

L. ✠ S. *N.*, cancellarius.

XV.

CITATIO UXORIS ORATRICIS.

De mandato Rev.mi *N.*, Iudicis instructoris in processu super matrimonio quod contenditur ratum et non consummatum, inter *N.* et *N.*, domina *N.*, habitans in via ...., num. ...., uxor oratrix in causa, personaliter comparcat coram praefato Iudice, in aula sessionum huius Tribunalis, in via ...., num. ...., anno ...., mense ...., die ..., hora ..., ut iuratum examen subeat in causa a se intentata.

Datum ..., ex aedibus ..., die ...

L. ✠ S.

N., Iudex.

N., actuarius.

Eiusmodi citationis fiunt duo exemplaria, quorum unum traditur cursori, remittendum parti, iuxta praescriptum Codicis, can. 1717 ss.; alterum asservatur in actis, et in calce eiusdem cursor referet ea quae peregit.

XVI.

RELATIO INTIMATIONIS A CURSORE PERACTAE, FACIENDA IN EXEMPLARI IN ACTIS ASSERVATO.

Refero me infrascriptum deputatum cursorem Rev.mae Curiae Episcopalis *N.*, hodie intimasse et reliquisse authenticum exemplar citationis dominae *N.*, in ipsius domicilio, via ..., num. ..., tradendo praefatum exemplar in manus eiusdem dominae *N.* (*vel* personae de eius familia *aut* famulatu) et ad normam can. 1721 ss.

In fidem, etc. Die ..., mense ..., anno ...

N., cursor deputatus.

Similiter exaratur scheda citatioria et fit relatio intimationis pro parte conventa et pro aliis in ius vocandis.

XVII.

DEFENSOR VINCULI EXHIBET INTERROGATORIA ORATRICI PROPONENDA.

N., in causa assertae inconsummationis matrimonii inter *N.* et *N.* defensor vinculi legitime deputatus, exhibet sequentia interrogatoria, clausa et obsignata, et nonnisi in actu examinis a Iudice aperienda, atque instat ut super iisdem examinetur domina oratrix *N.*, in causa a se intentata, servata forma a iure statuta; alioquin protestatur, etc.

Haec cum facultate alia addendi, delendi, corrigendi, etc.

Datum ..., die ...

N., defensor vinculi.

Item exhibentur interrogatoria pro examine partis conventae, testium ac peritorum.

XVIII.

IUSIURANDUM PRAESTANDUM A PARTIBUS AC TESTIBUS DE VERITATE DICENDA

Iudex gravibus verbis coniuges ac testes antea moneat de sanctitate iurisiurandi et de gravissimo delicto quod admittunt iurisiurandi violatores, adnotans peculiarem qualitatem iurisiurandi in subiecta materia, et *periurii funestissimos effectus,* iuxta ea quae in Decreto admonentur; et prout personae qualitas ferat, si ipse opportunum ducat, commonefaciat de poenis, quibus periurii noxii fiunt in foro Ecclesiae, quaeque recoluntur in *Regulis,* sub n. 40.

Deinceps iudex partem vel testem alloquitur.

Velis invocare Nomen divinum in testem veritatis, tactis sanctis Evangeliis, sequenti formula:

Ego *N.* iuro me totam ac solam veritatem dicturum, tam super articulis, quam super re universa, prout eandem veritatem coram Deo et conscientia compertam habeo, et plene ac fideliter expositurum, quin aliquid addam, omittam vel immutem. Sic me Deus adiuvet, etc.

XIX.

EXAMEN UXORIS ORATRICIS.

Sessio ...

In Dei nomine. Amen.

Anno Domini ..., die ..., hora ..., in urbe ..., in aedibus ..., coram R. D. *N.*, Iudice subdelegato, adstantibus R. D. *N.*, defensore vinculi, et infrascripto actuario, comparuit D. *N.*, oratrix in causa dispensationis sui matrimonii, pro hac die et hora rite citata.

Iudex iusiurandum ab oratrice petit et accipit iuxta modum et formulam praescriptam (*prout sub n. XVIII*).

Deinceps, postulante defensore vinculi, Iudex schedam, quam

idem defensor clausam exhibuerat, continentem interrogatoria uxori proponenda, reserat, et statim procedit, iuxta eadem interrogatoria, ad examen oratricis, quae ad singulas quaestiones respondet ex ordine ut sequitur.

Interrogationes generales.

1. Iudex partem interroget circa nomen, cognomen, nomen patris, originem, aetatem, religionem, conditionem, domicilium (urbem, viam, paroeciam), locum hodiernae commorationis.

An obligationes religiosas adimpleat.

Tum Iudex mandat actuario ut legat, pro norma partis, nomina iudicis et ministrorum tribunalis.

Deinceps, quatenus casus ferat, Iudex oratricem inducere conetur ad reconciliationem cum coniuge, propositis rationibus, iuxta qualitatem personarum et adiunctorum diversitatem, opportune depromptis, praesertim ex. gr. ex sanctitate initi matrimonii, ex auxilio divinae gratiae ad eiusdem onera sustinenda, ex tranquillitate conscientiae et pace familiarum, ex difficultatibus quae processum pro petita dispensatione comitantur; et apprime postulet quaenam causae opponantur quominus reconciliatio obtineatur, contendens ut eaedem causae, si fieri queat, removeantur.

Interrogationes particulares.

Post interrogationes generales, quaestiones particulares, prudenter pro adiunctis variandae, deferuntur. Speciminis gratia proponuntur plures circumstantiae quae prae oculis haberi debent, non tamen singulae in singulis processibus, sed pro subiecta materia.

2. Interr. Utrum confirmet an non suum supplicem libellum (*qui, si opus fuerit, legatur*) in singulis partibus? An et cuiusnam opera vel consilio oratrix usa fuerit pro huiusce causae propositione, et in supplici libello conficiendo?

3. Interr. Quando sponsi nuptiales negotiationes inchoarint, et quamdiu hae duraverint?

4. Interr. An matrimonium de parentum consensu et ex mutuo amore inierint?

5. Interr. An praecesserint banna; quo loco, quibus intervenientibus, qua communi laetitia et pompa matrimonium fuerit celebratum?

6. Inter. Quo tempore coniuges simul convenerint, eodem cubiculo et toro cubaverint?

7. Interr. An officiis coniugalibus ultro libenterque operam dederint, et matrimonium consummaverint? (*Si opus fuerit*: An pars reapse sciat in quo eiusmodi consummatio consistat?).

8. Interr. Si non consummaverint, an postea ad consummandum conatus adhibuerint, quoties, quomodo et quonam exitu?

9. Interr. An oratrix coniugali operi navando dolorem aliquando experta fuerit?

10. Interr. An ei persuasum sit virum copulam perfecisse integre iuxta naturae legem?

11. Interr. An istius vestigia exterius, ut solitum est, reperta fuerint?

12. Interr. An oratrix causam vel causas tum remotas tum proximas assertae inconsummationis cognoscat, aut saltem suspicetur? Dicat quid sibi videatur. Potissimum ex. gr. an causa inconsummationis fuerit defectus veri consensus in matrimonium, aut vis et metus in eodem ineundo, aut aversio inter sponsos exorta in ipso vitae coniugalis exordio, aut impotentia sive absoluta sive relativa, aut alia eiusmodi causa. Et peculiares circumstantias conatuum consummationis referat.

13. *Pro casu in quo asserta inconsummatio tribuatur infirmitati alterutrius coniugis*:

Interr. An aliquando alteruter coniux fuerit infirmus, et qua infirmitate? An et quos medicos consuluerit? Quae adhibuerit medicamenta, quanto tempore et quo effectu? Quaenam eorundem medicorum testimonia, vel alia documenta ad rem pertinentia habeantur?

14. Interr. An coniuges eodem cubiculo eodemque lecto semper usi fuerint?

15. Interr. Quis primus alterum deseruerit, qua de causa aut occasione proxima?

16. Interr. An et quando actum civilem celebraverint?

17. Interr. An fortasse de separatione vel solutione vinculi apud iudicem civilem actum fuerit, quo tempore, quo coniuge instante, quibus de causis, et quonam exitu? An decisio definitiva edita fuerit?

18. Interr. An sponsi suas coniugales vicissitudines, palam vel secreto, narraverint parentibus, consanguineis, amicis vel vicinis? Cui vel quibus, et quonam tempore de sui matrimonii inconsummatione locuti sint? In casu oratrix dicat eorum nomina et domicilia.

19. Interr. Quando et quonam modo oratrix didicerit matrimonium ratum et non consummatum a Romano Pontifice posse dispensatione dissolvi?

20. Interr. Quaenam sint causae, ob quas dispensationem a Summo Pontifice postulavit, et an in suo robore maneant?

21. Interr. An sciat utrum altera pars praesenti petitioni consentiat necne, et qua de causa praevideat eandem consensuram, aut sese opposituram esse?

22. Interr. Indicet testes, quatenus fieri possit, numero *septem*, sanguine vel affinitate sibi coniunctos, sin minus vicinos bonae famae, aut alioquin de re edoctos, qui iurare possint de eiusdem oratricis probitate, et praesertim de veracitate in praesenti controversia. Potissimum si qui facta noverint, a quibus praesentis quaestionis solutio pendeat, vel qui adiuncta ab uxore exposita confirmare valeant. Afferat de eiusmodi testibus nomen, cognomen, domicilium (urbem, viam, dioecesim ac paroeciam), locum hodiernae commorationis, aliasque notitias opportunas.

23. Interr. (*Praesertim si reus contumax sit vel fore videatur*): Indicet oratrix testes etiam ex parte viri conventi, inter eiusdem consanguineos, affines et vicinos, vel alioquin edoctos, qui probabiliter utile testimonium praestare valeant in casu.

24. Interr. An habeat instrumenta vel documenta, sive publica, sive privata, ad rem facientia? (*Si apud civilem iudicem de controverso matrimonio actum fuerit*): An exhibere possit authenticum exemplar actorum et sententiae iudicis civilis? An in processu civili inspectio corporalis utriusque vel alterutrius coniugis peracta fuerit; quo in casu, utrum tam scripta relatio, quam ora-

lis peritorum depositio exhibeantur; et quaenam de eadem inspectione sint animadvertenda, pro rei veritate?

25. Interr. An oratrix revera putet se adhuc integritate pollere, et parata sit corporali inspectioni duarum obstetricum vel duorum peritorum sese submittere, ad normam ss. canonum, praesertim *Regularum* S. C. de disc. Sacr. diei 7 maii 1923? Et quatenus fuerit deflorata, qua de causa et quo tempore id acciderit; et an eadem mulier inducere possit medicum vel peritum qui eam inspexerit et qui, a secreti vinculo solutus, testari valeat de statu oratricis post definitivam separationem a viro?

26. Absoluto examine, de mandato Iudicis, integra depositio clara voce legitur mulieri oratrici, et Iudex eandem interrogat:

Interr. An sit aliquid addendum, supprimendum, corrigendum, variandum?

27. Interr. Dein petitur ut praestetur iusiurandum de veritate dictorum et de secreto servando, iuxta formam (cfr. infra n. XX).

Ac, praestito iureiurando, subscribunt oratrix, iudex, defensor vinculi et actuarius.

L. ✠ S

N., oratrix.
N., Iudex instructor.
N., defensor vinculi.
N., actuarius.

Si oratrix scribere nesciat, aut ligitime impediatur quominus subscribat, id in actis adnotetur.

Si examen in unica sessione non absolvatur, suspenditur, facta adnotatione causae suspensionis, ex. gr.: « Ob horae tarditatem, suspensum fuit examen, animo et ordine prosequendi eodem loco, die ..., hora ... ».

Ad partis examen allegentur litterae testimoniales de eiusdem credibilitate expetitae et obtentae, ut supra diximus.

XX.

IUSIURANDUM DE VERITATE DICTORUM ET DE SECRETO SERVANDO.

Ego *N.* iuro me solam ac totam veritatem dixisse, et nunquam, antequam praesens causa penitus absolvatur, evulgaturum sive propositas interrogationes, sive responsiones datas. Sic me Deus adiuvet, etc.

XXI.

IUSIURANDUM AB INTERPRETE PRAESTANDUM.

Ego *N.*, a Rev.mo Iudice in processu super matrimonio quod contenditur ratum et non consummatum inter *N.* et *N.*, deputatus interpres, iuro me dictum munus fideliter impleturum, acta et documenta processus de verbo ad verbum diligenter et adamussim reddendo, ac simul secretum de omnibus quae in processu acceperim, servaturum. Sic me Deus adiuvet, etc.

XXII.

DECRETUM PRO CITATIONE PARTIS CONVENTAE.

Rev.mus *N.*, Iudex instructor etc., audito vinculi defensore, in ius vocari mandat *N.*, virum conventum, eique dici diem ..., mensis ..., horam ..., in aedibus ..., in via ..., num. ..., ut iuratum examen subeat in processu ab *N.*, uxore eiusdem viri, intentato, quod in hoc Tribunali conficitur ex mandato S. C. de disc. Sacr., diei ..., super asserta inconsummatione matrimonii dictorum coniugum, et causis Apostolicae quae efflagitatur dispensationis; cum declaratione quod si idem vir conventus, die et hora praestituta, non comparuerit, neque absentiae excusationem allegaverit, contumax habebitur, et, eo absente, instante defensore vinculi matrimonialis, ad ulteriora in iudicio procedetur.

Datum ..., die ...

L. ✠ S.

N., Iudex instructor.
N., actuarius.

XXIII.

CITATIO PARTIS CONVENTAE PER EDICTUM.

ROMANA

DISPENSATIONIS MATRIMONII N.-N.

Cum ignoretur locus actualis commorationis D. *N.*, filii ..., conditionis ..., in hac causa conventi, oriundi ex loco vulgo ..., dioecesis ..., qui anno ... degebat in loco ..., via ..., num. ..., per hoc edictum praefatum virum peremptorie citamus ad personaliter comparendum, anno .., mense ..., die ..., hora ..., in aedibus huius s. Tribunalis (via ... num. ...), coram infrascripto Iudice instructore, ad depositionem faciendam, iuxta interrogatoria eidem proponenda, in causa assertae inconsummationis matrimonii, ab eius uxore *N.* intentata, ad implorandam Apostolicam dispensationem, et quae ex mandato S. C. de disciplina Sacramentorum diei ..., in hoc Tribunali peragitur.

Quod nisi compareat die et hora designatis, neque absentiae vel suae rationis agendi excusationem attulerit, contumax habebitur, et, eo absente, ad ulteriora procedendum erit, instante rev.mo defensore vinculi in eadem causa.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de domicilio aut commorationis loco praefati viri, curare debent, si et quatenus fieri possit, ut de hac edictali citatione ipse moneatur.

Datum ..., die ...

L. ✠ S.

N., Iudex instructor.
N., actuarius.

XXIV.

EXAMEN VIRI CONVENTI.

Sessio ...

Serventur formae ut pro examine uxoris oratricis, et similes interrogationes proponi possunt; sed aliae pro rerum adiunctis magis accommodatae, adiiciendae erunt, aliae autem omittendae, aut de integro conficiendae; iuxta prudentiam et sagacitatem iudicis ac defensoris vinculi, qui eas exigant declarationes, quae, pro qualitate facti et personae, veritatem illustrare natae sint. Quoad vero corporalem viri inspectionem requirendam, attendantur quae praescripta sunt in *Regulis*, n. 84, §§ 2-3.

Ac parti quae secundo loco interrogatur, si casus ferat, in fine examinis fiant contestationes circa responsiones alterius partis, quae etiam ad examen iterum vocari poterit, iuxta *Regulas*, n. 55.

Si pars conventa in locum ubi tribunal coadunatur venire non possit, sive in aliena dioecesi sive in eadem degat, audiatur iuxta *Regulas*, nn. 23-24; idque observetur etiam quoad alios in ius vocatos, qui in similibus versentur adiunctis.

Quod si pars conventa coram iudice non comparuerit, de non secuta comparitione in iudicium et de causa saltem probabili non accessus, an ex. gr. agatur de impossibilitate vel de contumacia, in actis mentio fiat. Et quidem si de renuentia ad obtemperandum agatur, iusta causa absentiae non allata, iudicis est, audito vinculi defensore, perpendere an renovanda sit citatio, vel aliis modis magis opportunis utendum sit, veluti interventu personae amicitia coniunctae vel auctoritate gravis; et idem dicatur pro contumacia aliorum in ius accitorum. Documenta vero contumaciam comprobantia in actis referantur et, praesertim pro parte conventa, declaratio contumaciae edatur. (Cf. *Regulas*, n. 26).

XXV.

DECRETUM DECLARATIONIS CONTUMACIAE PARTIS CONVENTAE.

ROMANA

DISPENSATIONIS MATRIMONII N.-N.

In causa *Romana, Dispens. matr.* initi inter *N.* et *N.*, quam Rev.mus *N.*, Iudex, ex rescripto S. C. de discipl. Sacrament. diei ..., instante uxore, instruendam curat, cum vir *N.*, pars conventa, legitime citatus fuerit, (*vel* iterum citatus fuerit ad normam can. 1843, § 2, *vel* opportuna media adhibita fuerint ad eundem arcessendum) iuxta decretum praefati Iudicis diei ..., et revera constiterit citationem tempore utili ad notitiam dicti viri pervenisse, iuxta intimationem rite peractam a cursore Curiae die ... (*vel* iuxta syngraphum receptionis per publicos tabelliones delatam), ac simul constiterit eundem conventum, die et hora praescripta, neque dimidia parte horae immediate sequentis, coram iudice non comparuisse, et absentiae excusationem afferre neglexisse, neque ullo modo ab eiusmodi inobedientia recedere voluisse, Rev.mus Iudex instructor, audito defensore vinculi, eundem virum contumacem declarat; mandans ut, servatis servandis, ad ulteriora procedatur, usque ad conclusionem processus: idque parti contumaci notum fiat *ex officio*.

Ad hoc decretum adiiciuntur documenta contumaciam eiusdem partis conventae comprobantia.

Datum ..., die ...

L. ✠ S.

N., Iudex instructor.
N., actuarius.

XXVI.

DECRETUM CITATIONIS TESTIUM SEPTIMAE MANUS AB ORATRICE INDUCTORUM.

Rev.mus *N.*, Iudex instructor in causa ..., audito vinculi defensore, testes septimae manus a muliere oratrice inductos, examini iudiciali subiici mandat, et ideo ad rem citari; videlicet:

1. *N.* (ex gr. patrem eiusdem oratricis).
2. *N.* (matrem, etc.).
3. ...
4. ...
5. ...
6. ...
7. ...

Datum ..., die ...

L. ✠ S.

N., Iudex instructor.
N., actuarius.

Allegentur litterae testimoniales quae obtentae sunt circa testium excutiendorum fidem et probitatem.

Fiant schedae citatoriae, in forma simili ac pro partibus, mutatis mutandis; et similiter fiat intimatio.

XXVII.

IUDICIALE EXAMEN TESTIS *N.* AB ORATRICE INDUCTI.

Sessio ...

Serventur formae ut pro examine oratricis. Iudex testi defert iusiurandum, iuxta formulam sub n. XVIII, et reserat schedam exhibitam clausam a defensore vinculi, et continentem interrogatoria, quae deinde proponit.

Ad generalia: 1. Testis interrogetur circa nomen, cognomen, nomen patris, originem, aetatem, religionem, conditionem, domi-

cilium (urbem, viam, paroeciam), locum hodiernae commorationis.

2. An sit consanguineus vel affinis alterutri coniugi, et quo gradu?

3. Quo ex tempore, qua occasione et quomodo noverit coniuges *N.* et *N.*?

Ad specialia: 4. An perspectam habeat religionem et honestatem eorundem coniugum, ac propterea an testis putet unum alterumque vera dixisse; vel saltem eos habeat incapaces peierandi, neque in sui favorem, et in re tam gravi de qua agitur?

5. An sciat utrum coniuges de quibus est sermo, sese libera voluntate et mutuo affectu copulaverint?

6. Quaenam fuerint signa mutui amoris, tam ante matrimonii celebrationem, quam in ipso die celebrationis, ac postea?

7. An sciat utrum condormierint et matrimonium consummaverint?

8. An sit instructus qua de causa consummare nequiverint? (Utrum ex. gr. ex defectu veri consensus in matrimonium, aut ex vi et metu in eodem ineundo, aut ex aversione et odio exortis inter sponsos in ipso vitae coniugalis initio, aut ex impotentia sive absoluta sive relativa, vel ex aliis quibuslibet causis?).

Nota. - Iudicis et defensoris vinculi officium erit aptis interrogationibus e testium ore colligere, cuinam causae asserta inconsummatio tribuenda sit, et perquirere de *indiciis* et *praesumptionibus* quae ad comprobandam inconsummationem conferre possint, iuxta *Regulas,* cap. XII.

9. An et quid coniuges experti sint, ut impedimenta ad consummationem perficiendam amoverent?

10. An inter eos lites exstiterint, et alter alterum male habuerit?

11. Quae fuerit causa vel occasio mutati animi et sensus unius erga alterum?

12. Quanto tempore simul cohabitaverint, et quis primus alterum deseruerit?

13. Quaenam sit fama tam apud testem, quam apud alios de asserta inconsummatione?

14. An testis noverit alios sive ex parte oratricis, sive ex parte viri, qui sint de re instructi, et in hoc processu deponere possint?

15. An sciverit quando pars oratrix consilium ceperit petendi a Summo Pontifice dispensationem super rato, sed non consummato, et a quonam hanc Summi Pontificis facultatem didicerit?

16. An sit possibilis coniugum reconciliatio?

17. An testis habeat aliquid addendum, supprimendum, corrigendum, variandum?

Tum iudex integram depositionem editam a coniuge qui testem induxit, eidem testi legere faciat, ac petit:

18. An asserta in coniugis depositione veritati respondere in omnibus censeat?

Quodsi iudici non videatur opportunum integram legi coniugis depositionem, se gerat iuxta *Regulas*, n. 68, § 2.

Dein testi leguntur omnia quae actuarius de iis quae ipse viva voce testatus est, scripto redegit, ac rogatur:

19. An haec relatio responsiones redditas plene contineat?

20. Petitur ut praestetur iusiurandum de veritate dictorum et de secreto cervando, iuxta formam (cf. supra, n. XX).

Ac praestito iureiurando, subscribunt testis, iudex, defensor vinculi et actuarius.

L. ✠ S.

N., testis.
N., Iudex instructor.
N., defensor vinculi.
N., actuarius.

Simili modo agendum est quoad ceteros testes septimae manus, et alios qui producuntur vel ad instantiam partis, vel *ex officio*.

XXVIII.

IUDEX OBSTETRICES, VEL MEDICOS, ET MATRONAM AD CORPORALEM UXORIS ORATRICIS INSPECTIONEM EX OFFICIO DESIGNAT.

Die ..., mense ..., anno ..., in processu super matrimonium quod contenditur ratum et non consummatum inter *N.* et *N.*

Rev.mus *N.*, Iudex instructor, audito defensore vinculi, decrevit:

Procedatur ad legalem inspectionem corporis mulieris *N.*, uxoris oratricis; et ad hoc eligantur, prout praesenti decreto eliguntur, in obstetrices *N.* et *N.* (*vel* in peritos medicos *N.* et *N.*); in matronam *N.*

Idque eis notificetur, et moneantur ut die ..., mense ..., hora ..., se sistant in aedibus..., via ..., n. ..., ad memoratam inspectionem peragendam, iuxta C. I. C. et *Regulas* S. C. de disc. Sacr., diei 7 maii 1923.

Quod tum praefatae *N.*, mulieri oratrici, tum defensori vinculi significetur.

L. ✠ S.

N., Iudex.
N., actuarius.

Quod spectat ad ipsam inspectionem mulieris peragendam necne, cf. *Regulas*, nn. 84-86.

Quoad qualitates requisitas in eligendis obstetricibus vel peritis, cf. ib. nn. 87-89; et quoad qualitates matronae, ib., n. 91.

Item, mutatis mutandis, editur decretum deputationis pro duobus peritis ad inspiciendum virum, si casus ferat.

XXIX.

IUSIURANDUM AB OSTETRICIBUS, VEL MEDICIS, ET A MATRONA PRAESTANDUM.

Iudex obstetrices, vel peritos, ac matronam moneat de iurisiurandi gravitate, praesertim in huiusmodi processibus, iuxta ea quae in *Decreto* significantur.

Deinceps obstetrices, vel praefati medici, iusiurandum praestant, tactis s. Evangeliis, sequenti formula, mutatis mutandis:

Ego *N.*, deputata ut obstetrix *ex officio*, ad peragendam peritiam canonicam super muliere *N.*, iuro me commissum officium fideliter obituram, eaque omnia exquisituram et deducturam, quae, per experimentum iuxta medicae artis principia absolutum, ad admittendam aut exeludendam matrimonii consummationem conferre censeam; servatis praesertim praescriptionibus *Regularum* S. C. de disciplina Sacramentorum, diei 7 maii 1923, cap. XIII; et tam in scripta relatione, quam in orali interrogatorio, omnia exposituram iuxta veritatem; necnon secretum servaturam. Sic me Deus adiuvet, etc.

Pariter, tactis s. Evangeliis, matrona iurat:

Ego *N.*, designata *ex officio* ut adstem corporali inspectioni mulieris *N.*, iuro me officium meum fideliter impleturam, observando potissimum praescriptiones *Regularum* S. C. de disc. Sacr., diei 7 maii 1923, cap. XIII, ac praesertim curaturam ne fraus committatur, atque ut pudoris leges sartae et tectae serventur; necnon in orali interrogatorio omnia exposituram iuxta veritatem, et secretum servaturam. Sic me Deus adiuvet, etc.

De iis quae in peragenda inspectione servari debent, ac de ratione eiusdem inspectionis exsequendae, confer *Regulas*, n. 91 et 93.

Si vero iudex dubitet de sufficienti instructione obstetricum, adhibeat peritum medicum qui easdem ad rem instruat.

Inspectionem obstetrices vel periti seorsim singuli exsequi debent, servatis *Regulis*, n. 93.

Peracta inspectione, pariter singuli seorsim relationem factae inspectionis et suam sententiam scripto consignent, in attestationibus tradendis intra terminum a iudice praefinitum, et quae actis integrae allegandae erunt.

Iudex autem designat locum, diem et horam ad orale examen peritorum et matronae.

XXX.

ORALE EXAMEN PERITI VEL OBSTETRICIS.

Anno, coram Iudice, adstantibus, comparuit D. *N.* (ut in aliis sessionibus; cfr. initium examinis uxoris oratricis, mutatis mutandis).

Iudex instructor, perito vel obstetrici iterum delato, si ita existimet, iureiurando de veritate dicenda, reserat schedam obsignatam, ubi continentur articuli concinnati a defensore vinculi, quos hic praesertim eruerit ex relationibus ad iisdem peritis exhibitis, iuxta generales et peculiares circumstantias et difficultates, quae in casu actualis inspectionis sunt quidem animadvertendae.

Eiusmodi autem articuli, praeter eos qui in schemate infra notantur, desumi debent ex vulgatis a S. Sede Instructionibus, seu ex Instr. S. Congr. Concilii, *Cum moneat glossa*, diei 22 augusti 1840; ex Instr. S. C. S. Off., *Iudex ad hoc deputatus*, a. 1858; et ex Instr. eiusdem S. O., (ad Episcopos Rituum Orientalium). *Quemadmodum matrimonii foedus*, an. 1883, tit. VI, art. 5; atque ex consulto viri periti, pro difficultatibus alicuius peculiaris casus.

Praemissis interrogationibus generalibus, iudex dictos articulos perito seu obstetrici exhibet, qui esse poterunt ut sequitur; quibus *ex officio* alios, prout casus ferat, adiicere debet, attentis etiam dubiis et ambiguitatibus, quae ex ipso interrogatorio emerserint.

1. An perito aliqua sit necessitudo cum muliere inspecta, vel eius viro?

2. Quo tempore et quomodo eos noverit?

3. An sub vinculo iurisiurandi confirmet per omnes partes

relationem, quam de corporali mulieris inspectione scripto exaravit?

4. An in eadem relatione aliquid addendum habeat, vel corrigendum, vel mutandum?

5. An peritus tum physicam inspectionem, tum etiam relationem seorsim ab altero perito confecerit?

6. An mulier balneo subiecta fuerit aquae tepentis, et quanto tempore?

7. Qua via et ratione peritus in peragenda inspectione processerit?

8. An idem peritus signa, ab arte tradita, integritatis aut corruptionis mulieris inspexerit in casu?

9. Quibus potissimum argumentis sententia a perito prolata innitatur?

10. An exstet aliquod dubium fraudis, praesertim an praesidia artis medicinalis callide adhibita fuerint ad integritatem simulandam?

11. An mulier aliquo morbo vel defectu vel anomalia laboraverit, quae influxum habere potuerint in coniugales relationes, et quidem ipso tempore cohabitationis cum viro; et utrum curari queant, an non?

12. (*Si casus adsit*): Quomodo conciliari possit sententia periti cum contraria opinione alterius periti vel doctoris, vel cum contraria assertione unius vel utriusque coniugis (*quae perleguntur*)?

Nota. Relationes sive ab obstetricibus sive a medicis confectas iudex alterius periti examini subiicere poterit, si id opportunum existimaverit, et aliter se gerere iuxta *Regulas*, n. 93, § 2.

13. Quidnam peritus perspexerit de generali corporis constitutione mulieris oratricis, de eiusdem temperamento et de statu psychico?

14. An et quae ab eadem muliere sciverit ad rem facientia?

15. (*Si casus ferat*): An peritus aliquid sciverit de statu physico alterius coniugis, scilicet viri conventi, quod ad rem pertineat; et an eiusdem periti sententia reapse corroboretur, aut infirmetur, notitiis, quae in processu comparatae sunt de eiusmodi statu viri (*quae ideo leguntur*)?

16. Cuinam causae peritus assertam inconsummationem censeat esse tribuendam in casu?

17. An et quaenam alia sint experienda ad veritatem detegendam?

18. An, praemissa lectura depositionis, peritus aliquid habeat addendum, minuendum, corrigendum, mutandum?

Praestito iureiurando de veritate dictorum et de secreto servando, sequuntur subscriptiones, ut de more.

XXXI.

ORALE EXAMEN MATRONAE.

Serventur formae ut pro orali examine peritorum, mutatis mutandis.

Post rursus praestitum, si iudici videatur, iusiurandum de veritate dicenda, et post interrogationes generales, sequuntur quaestiones speciales, praesertim:

1. An matrona inspectioni ininterrupte adstiterit?

2. An et quomodo balneum paratum et adhibitum fuerit? quanto tempore in eo uxor permanserit?

3. An officium suum medici vel obstetrices, servatis modestiae legibus, et iuxta normas eisdem statutas, diligenter expleverint?

4. Utrum ulla fraus aut deceptio locum habere potuerit?

5. An matrona aliquid habeat de re animadvertendum?

6. An aliquid habeat addendum, supprimendum, corrigendum, variandum?

Si balneum adhibitum non fuerit, secunda interrogatio, uti patet, est omittenda.

Emisso iureiurando de veritate dictorum et de secreto servando, fit subscriptio.

XXXII.

DE VIRI INSPECTIONE.

Quatenus viri inspectio requiratur (ad normam *Regularum*, n. 84, § 2), duo medici *ex officio* deputari debent, qui, praestito duplici iureiurando, de munere fidelitur adimplendo et de secreto servando (ut dictum est pro obstetricibus, vel medicis, quoad mulieris inspectionem, mutatis mutandis), a iudice moneantur ut singuli seorsim inspectionem viri, servata honestate, perficiant, et perscrutentur ea quae in *Regulis*, n. 95, adnotantur.

Expleta inspectione, singuli seorsim relationes scripto consignent et iudici exhibeant, quae in actis integrae inseruntur, et ex quibus defensor vinculi suas expromit interrogationes.

Fit autem orale examen singulorum medicorum, in quo, si iudici videatur, post rursus praestitum iusiurandum de veritate dicenda, et post interrogationes generales, proponendae sunt quaestiones peculiares prout eruuntur ex Instructionibus a S. Sede typis editis, quae supra memoratae sunt, n. XXX, iuxta casus adiuncta.

In genere prae oculis habendae sunt quae sequuntur, ex *Regulis*, cit. n. 95:

1. An medicus licitis quidem et honestis praesidiis usus fuerit?

2. Quaenam argumenta vel indicia repererit, quae virilem potentiam adstruant, aut potius excludere videantur?

3. An vir aliquo morbo et quonam laboraverit, qui influxum in coniugales relationes habere potuerit?

4. Utrum eiusmodi morbus iam diu invaluerit, vel sit recens; naturalis vel acquisitus; curabilis absque salutis periculo, annon?

Et ad veritatem detegendam iudex, audito defensore vinculi, cuncta experiatur, ad normam *Regularum*, et ut adnotatum fuit in examine peritorum pro mulieris inspectione, congrua congruis referendo.

Demum, post delatum iusiurandum de veritate dictorum et de secreto servando, sequitur de more subscriptio.

XXXIII.

CONCLUSIO INSTRUCTIONIS PROCESSUS.

In processu super matrimonio quod contenditur ratum et non consummatum inter *N.* et *N.*,

Interrogatis tum partibus, quae responderunt se nihil aliud habere quod deducant; tum defensore vinculi, qui declaravit sibi nihil amplius inquirendum superesse;

Perpensis omnibus actis, partium, testium ac peritorum depositionibus, relationibus et adnexis documentis;

Cum causa, attentis personarum ac rerum adiunctis, satis instructa sit, Iudex decernit clausam esse instructionem processus, et omnia acta, in authentico exemplari, una cum *voto scripto Ill.mi ac Rev.mi Episcopi*, et *defensoris vinculi*, transmittenda esse ad S. Congregationem de disc. Sacr.

Ex aedibus ..., die ...

L. ✠ S. *N.*, Iudex.

N., actuarius.

Votum autem defensoris vinculi, nisi agatur de re evidenti, ne adstipuletur parti dispensationem postulanti, sed difficultates moveat, quae tum quoad ordinem processualem, tum quoad quaestionis meritum, refragantur, quamvis sophisticis argumentationibus non sit indulgendum.

XXXIV.

TESTIFICATIO DE AUTHENTICITATE EXEMPLARIS ACTORUM.

Facta collatione praesentis actorum exemplaris cum omnibus actis et documentis originalibus existentibus in archivo huius Tribunalis, testor ego infrascriptus constare de fideli transcriptione et integritate eiusdem exemplaris, quod transmittitur ad Sacram Congregationem de disciplina Sacramentorum.

Datum ..., die ...

In fidem, etc.

L. ✠ S. *N.*, Iudex.

N., actuarius.

PARS TERTIA

CAUSARUM SPECIMINA

SPECIMEN PRIMUM

ARGUMENTUM.

Ioannes Ontano dispensationem implorat super matrimonio quod cum Aemilia Pala contraxit. Asseveratio oratoris de matrimonii inconsummatione fulcitur utriusque coniugis confessione concordi, quam testes de scientia et testes septimae manus confirmant; S. Congregatio de disciplina Sacramentorum die 24 iulii 1925 edicit praestandum esse consilium SS.mo pro dispensatione elargienda et SS.mus die 29 iulii 1925 benigne dispensare dignatur (Num. Protoc. 4382/21).

Iudicio Ecclesiastico penes Consistorium Undanense (1). a. Supplex libellus oratoris.

Ioannis Ontano, habitantis in vico Terra Sicca, sub paroecia Hr.

Supplex libellus.

Die 27 mensis aprilis 1914 an. matrimonium cum Aemilia, filia coniugum Vincentii et Rosaliae Pala, ex praedio Cisz. oriun-

(1) Hodie causae introductio fieri debet iuxta formulas quas S. C. de Sacramentis in Appendice *Regularum* diei 7 maii 1923 odidit.

da, contraxi. Nuptiae in ecclesia paroeciali in loco L. celebratae sunt.

Matrimonium non est consummatum. Die 1 mensis maii in Americam profectus sum, illa vero in vico Terra Sicca, in domo sua, oculorum curandorum causa mansit. Ex America 210 doll., deinde 1915 an. 500 doll. ipsi et 36 doll. patri suo Vincentio misi. Pecunia obtenta non venit ad me, sed cognitione cum Bronislao Kr., milite, facta et documentis sororis suae maioris natu Magdalenae Pala assumptis mense decembri 1917 an. aufugit. Die 23 mensis iunii 1921 an. domum redii et eam non inveni. Ivi videre eius patrem, sed nemo aliquam notitiam de illa habuit. Ego autem in conditione difficili maneo, quia illa neque uxor mihi est, neque rei domesticae praeest. Adeoque precor, ut causa mea diiudicetur et ad alias nuptias transire mihi concedatur. Testificari in hac causa totus vicus Terra Sicca eiusque vicinitas potest.

Ioannes Ontano.

b. Testimonium de matrimonio celebrato.

Parochus ecclesiae in loco L. die 16 iulii 1921, N. 72. Oppidum L.

Testimonium de matrimonio iuxta libros ecclesiae R.-cath. in loco L. N. 14, pag. 95.

Die 27 mensis aprilis 1914 an. in ecclesia R. cath. in loco L Ioannes, filius Vincentii Ontano et Angelae de domo Duonas, caelebs, 33 annorum, ex vico Terra Sicca oriundus, matrimonium contraxit cum Aemilia, filia coniugum Vincentii Pala et Rosaliae de domo Cipolla, virgine, 19 annos nata ex praedio Cisz oriunda. Authentiam actus confirmo.

L. ✠ S.

Ladislaus Sadus, parochus ecclesiae L.

Ad Sacram Congregationem de disciplina Sacramentorum — Romae.

c. Acta ad S. Congr. de Sacramentis mittuntur.

Ioannes Ontano et Aemilia Pala die 27 mensis aprilis 1914 an. in ecclesia in loco L., dioecesis Undanensis, matrimonium secum inierunt. Ioannes Ontano die 13 mensis iulii anni currentis supplicem libellum Iudicio Episcopali Undanensi obtulit, ut sibi licentiam ad novas nuptias tarnseundi concederet. In supplici libello orator affirmat matrimonium suum non esse consummatum, adeoque Iudicium Episcopale supplicem libellum istum una cum testimonio de matrimonio celebratio ad Sacram Congregationem de disciplina Sacramentorum, ad mentem canonis 1962 Codicis Iuris Canonici, obsequentissime transmittit.

Datum in urbe Unda, die 5 septembris 1921 an., N. 620.

Canonicus Iosephus Kuta, Vice-officialis
Antonius Vidmont, Notarius.

Dioecesis Undanensis.
Dispensationis matrimonii Ontano-Pala quod contenditur ratum et non consummatum.

Ill.me ac Rev.me Domine,

Relatis in Sacra Congregatione de disciplina Sacramentorum precibus quibus Ioannes Ontano postulat dispensationem super matrimonio ab ipso contracto cum Aemilia Pala utpote rato et non consummato, eadem Sacra Congregatio praesentibus facultatem tribuit Amplitudini Tuae Reverendissimae conficiendi processum super asserta non consummatione dicti matrimonii et causis dispensationis ad normam Codicis Iuris Canonici, cum potestate etiam subdelegandi pro excussione partium ac testium qui forte extra dioecesim morentur.

1. Litterae delegationis S. Congregat. de Sacr. 4382/21.

Curet praesertim Amplitudo Tua ut testes septimae manus, de quorum religione et sinceritate per fidem Ordinarii in actis constare debet, ex utroque latere rite inducantur. Et si partes id

praestare omittant vel alterutra sit contumax, dignetur Amplitudo Tua testes inducere ex officio, et acta complere ad normam can. 1975 § 2.

Quod spectat ad physicum argumentum, obstetrices et periti medici, de quorum honestate pariter in actis constare oportet, ita opportuno interrogatorio excutiendi sunt, ut circa omnia, quae in eorum visu-reperto scripta continentur, nullum dubium relinquatur.

Postquam vero Defensor sacri vinculi animadversiones suas, actis inserendas, conscripserit, placeat Amplitudini Tuae de resultantibus mentem suam aperire, et omnia acta latine versa ad hanc S. Congregationem transmittere.

Interim, quo par est obsequio, me profiteor.

L. ✠ S.

Romae, die 30 Sept. 1921.

Amplitudinis Tuae Ill.mae ac Rev.mae
Addictissimum servum

Ill.mo ac Rev.mo Domino
Episcopo Undanensi.

D. Iorio, Subsecretarium.
Amadeus Bernardini, Off.

2. Constituitur tribunal subdelegatum.

Episcopus Undanensis
N° 4893.

Undae, die 27 *octobris* 1921.

A. Reverendo Domino Ioanni Puodys,
Iudici Prosynodali dioec. Undanensis.

Mandatum delegationis Sacrae Congregationis de Sacramentis in causa dispensationis super matrimonio rato et non consummato coniugum Ioannis Ontano et Aemiliae de domo Pala Tibi, A. Reverendo Domine, transmittimus, ut, una cum A. Reverendo Domino Savo qua Defensore vinculi et A. Reverendo Domino An-

tonio Vidmont qua Notario, qui in Iudicio Nostro Dioecesano eadem respective numera exercent, processum qua Iudex Instructor conficias.

✠ *Ioannes,* Episcopus Undanensis.

St. Travoni, pro Cancellario Curiae.

Citatio N° 569.

3. Ioannes Ontano, orator, citatur ad comparendum.

Iudicium Dioecesanum Undanense citat Ioannem Ontano, qui in Terra Sicca, sub paroecia Hr. commoratur, ut die 10 mensis maii 1922 an. hora 11, compareat in Curia Episcopali, in urbe Unda, via Pilis N° 6, qua orator in causa sibi nota.

Sac. I. Puodys, iudex instructor.

Antonius Vidmont, Notarius.

Formula iuramenti

(de veritate dicenda pro partibus).

4. Iuramentum oratoris.

Ego Ioannes Ontano iuro, etc.

Litterae quaestionum,

5. Interrogatoria pro examine iudiciali oratoris.

a Defensore vinculi conscriptae, pro examine iudiciali Ioannis Ontano in causa assertae non consummationis matrimonii dicti Ioannanis.

Quaestiones generales:

1) Quomodo vocaris? — 2) Quae tibi aetas, conditio vitae et religio? Ubinam habitas? — 3) A quonam vocatus in iudicium? — 4) Memorne sis iuramenti et obligationis sincerae veritatis dicendae?

Quaestiones speciales:

1. Quandonam orator uxorem suam cognoverit; an de parentum consensu matrimonium inierit, an libera voluntate et libenter matrimonium cum Aemilia Pala contraxerit.

2. Quandonam matrimonium fuit celebratum; an post nuptias celebratas orator cum uxore simul et in eodem cubiculo cohabitaverit; an commercium coniugale cum uxore habuerit, an matrimonium consummaverit; cur non consummaverit.

3. Quanto tempore orator simul cum uxore cohabitaverit; an cohabitatio concors fuerit; undenam lites ortae fuerint; quisnam de hac re sit instructus, quomodo et ex quo tempore; quis primus alterum deseruerit, quaenam fuerint causae discessus.

4. Sintne qui sciant matrimonium suum non esse consummatum, quis sciat, undenam et ex quo tempore.

5. Per quos testes, quibus argumentis orator intendat probare commercium coniugale inter se et uxorem non habuisse locum.

6. Cur orator cohabitare cum uxore nolit.

7. An aliquid addere velit.

Adamus Savo, vinc. def.

6. Examen iudiciale oratoris.

Anno Domini 1922, die 10 mensis maii, Iudex instructor Ioannes Puodys vi mandati Ex.mi Episcopi Undanensis de die 27 octobris 1921 an. sub N. 4893, coram Defensore vinculi Adamo Savo et Notario Antonio Vidmont, in causa dispensationis super matrimonio rato et non consummato coniugum Ioannis Ontano et Aemiliae Pala in aula sessionum Undanensis Curiae Dioecesanae, iuratum oratorem Ioannem Ontano examini iudiciali subiecit.

A) Orator ad quaestiones generales modo sequenti respondet: Ioannes Ontano vocor, catholicae fidei sum, agricola, 43 annos natus, dego in vico Terra Sicca, sub paroecia Hr., in causa, memor praestiti iuramenti, depono.

B) Ad quaestiones vero speciales respondet:

1. Uxorem meam Aemiliam Pala cognovi dominica Palmarum 1914 an. Matrimonium contraxi cum ea libere, meis et suis parentibus assentientibus.

2. Matrimonium celebratum fuit die 27 aprilis 1914 in ecclesia in loco L.

3. Post nuptias celebratas cum uxore simul tres dies transegimus et simul dormivimus. Commercium coniugale inter nos locum non habuit eo quod statim in Americam proficisci debebam et eo quod me talis commercii pudebat, non eam cognoscebam bene. Die 1 maii eiusdem anni profectus sum in Americam, uxor vero domi mansit. Cohabitatio nostra erat concors. Uxor prima consortium coniugale abrupit; nam postquam in Americam veni et

pecuniam itineris expensis necessariam ei misi, ea iter istud non suscepit, ut ad me veniret, sed matri meae declaravit se non esse ad me profecturam, pecunia vero militem Vladislaum Kr. sustentaturam esse.

4. Aemilia ipsa se commercium coniugale mecum non habuisse dixit quibusdam personis, nempe: Iosepho Ku. El. W. et Alexandro N. qui in vico Terra Sicca habitant. Sed quando ea id eis dixerit, nescio.

5. Praeter testes, alium modum probandi factum quod commercium coniugale inter nos locum non habuerit, ego nescio.

6. Cohabitare cum Aemilia nunc non amplius volo, nam timeo, ne ipsa, qua persona admodum improba, me vita privet, etenim ipsa voluntarie abortum procuravit; caeterum, nescio, utrum inter vivos exstet, quia nemo est, qui sciat aliquid de ea, nec suus pater.

7. Nihil habeo addendum, perlectam vero depositionem confirmo iureiurando et subscriptione (1).

Ioannes Ontano.
Sac. I. Puodys, Iudex instructor.
Antonius Vidmont, Notarius.

7. Iuramentum oratoris.

Formula iuramenti
(de veritate dicta pro partibus).

Ego Ioannes Ontano iuro, etc.

8. Decretum pro citatione testium.

Testes Iosephus Ku., Elisabeth W. et Alexander N. citentur ad comparendum die 7 iunii proximi hora 11.

Sac. I. Puodys, Iudex instructor.
Antonius Vidmont, Notarius.

(1) Iuxta *Regulas* S. Congr. diei 7. V. 1923, terminatur modo sequenti: Ac, praestito iureiurendo, subscribunt orator, Iudex, defensor vinculi et actuarius.

Personae istae citatae fuerunt per schedas citatorias N. 679, 680 et 681, in forma uti sub N. 3 actorum huius processus.

9. Defensor vinc. rogatur ut conficiat interrogat. pro exam. testium.

Undae, die 16 *maii* 1922, *N.* 697.

A. R. Domino Adamo Savo, Defensori Vinculi.

Una cum hisce acta processus in causa dispensationis super matrimonio rato et non consummato Ionnem Ontano inter et Aemiliam Pala Tibi, A. R. Domine, transmittuntur, ut interrogatoria pro examine testium in ista causa die 7 iunii proximi hora 11. in aula sessionum Undanensis Curiae Dioecesanae peragendo conficias. Praeterea, tunc temporis in dicta aula praesentiam tui facere ne graveris, ut huic actui intersis.

Sac. I. Puodys, Iudex instructor.
Sac. Antonius Vidmont, Notarius.

10. Interrogatoria pro examine testium.

Litterae quaestionum,

a Defensore vinculi conscriptae, pro examine iudiciali testium ex parte Ioannis Ontano in causa assertae non consummationis matrimonii.

Quaestiones generales:

1) Quomodo vocaris cnf. n. 5 actorum.

Quaestiones speciales:

1. An et undenam noverit testis coniuges Ioannem et Aemiliam Ontano.

2. An libenter Aemilia nupserit, cur ita sentiat.

3. An bene noverit vitae coniugalis consortium coniugum Ioannis et Aemiliae Ontano; quanto tempore id duraverit, an concors fuerit et quam ob causam coniuges inter se discesserint.

4. An sit orta progenies ex eorum vitae coniugalis consortio; an noverit testis, cur progenies non fuerit orta; an dixerit Aemilia testi se commercium coniugale cum merito non habuisse, quando hoc ea dixerit, quanam occasione et quem in finem; utrum

possit omnino credi Aemiliam hoc in casu verum dixisse, an potius ista eius locutio fuerit conatus simulatus iustificandi indignum modum agendi erga maritum.

5. Quid testis addere velit in hac causa.

A. Savo, v. Def.

Formula iuramenti
(de veritate dicenda pro testibus).

11. Iuramentum testium.

Iuro, etc.

12. Examen iudiciale testium.

Die 7 iunii 1922 an., in aula Iudicii Episcopalis Undanensis, Iudex instructor Iosephus Puodys, una cum Adamo Savo, Defensore vinculi et Antonio Vidmont, Notario in eadem causa infrascriptas personas post praestitum ab eisdem de veritate dicenda iuramentum qua testes examini iudiciali subiecit.

Vocor Elisabeth W., nata M., graeco-russicae confessionis, rustica, 55 annorum, rei domesticae gerendae operam do, dego in vico Terra Sicca, sub paroecia Hr., in causa depono.

1. Ioannem Ontano et eius uxorem Aemiliam Pala bene novi. In eodem vico habitavimus cum Ioanne Ontano inde a 27 annis, Aemiliam vero cognosco ex tempore quo ipsa Ioanni Ontano nupsit.

2. Nihil valeo respondere ad quaestionem, an Aemilia Pala nupserit Ioanni Ontano libenter.

3. De eorum vita coniugali nihil dicere voleo, nam ii tres solummodo dies post nuptias simul cohabitarunt. Per istos tres dies lites inter eos nullae exstiterunt. Coniugibus erat propositum proficiscendi in Americam lucrandi causa; sed Aemilia per aliquod tempus manere debuit oculorum curandorum causa. Sed postea, bellum ortum est et ea loro remansit.

4. Coniugibus Ontano liberi defuerunt. Aemilia dixit quod Ioannes Ontano commercium coniugale secum non habuerit eo fine, ut, postquam ea in Americam venerit, comprobare possit, an cum aliis viris ea commercium carnale non habuerit. Ipsa mihi hoc dixit uno circiter anno post nuptias celebratas elapso, paulo

antequam una cum amasio suo, milite exercitus russici, e domo mariti sui discederet; miles iste catholicus erat. Puto Aemiliam verum dixisse. Non puto illam hoc dixisse eo fine, ut suum modum agendi erga maritum iustificaret.

5. Nihil habeo addendum, perlectam vero depositionem confirmo iuramento et subscriptione adiiciendo Ioannem Ontano esse hominem iustum eique credi posse. Elisabeth W., scribendi noscia (1).

Iosephus Ku., rusticus, 48 annos natus, agricola, dego in vico Terra Sicca, sub paroecia Hr., sub fide iurata depono.

1. Ioannem Ontano et eius uxorem Aemiliam de domo Pala bene novi, quia in eodem vico habitamus.

2. Utrum libenter Aemilia Ioanni Ontano nupserit, nescio.

3. Coniuges Ontano cohabitarunt simul valde breviter per duos vel tres dies; de litibus inter eos nihil audiebatur. Ambo in Americam proficisci in animo habuerunt, sed oculorum infirmitas eam retinuit. Postea, bellum est ortum et ea in regione sua manere debuit.

4. Progenies coniugibus Ontano deerat, quia commercium coniugale inter se non habuerunt, uti Aemilia ipsa uno circiter mense a nuptiis celebratis elapso mihi dixit. Cur ii commercium coniugale inter se non habuerint, ego nescio. Aemilia dixit hoc serio et eius verbis credi potest. Simulatam iustificationem eius verbis tribuere non licet.

5. Aemilia, morali sub respecta, bona fama post discessum mariti non gaudebat. Ioanni Ontano credi potest omnino. Mihi perlectam hanc depositionem confirmo iuramento et subscriptione.

Iosephus Ku.

---

(1) In aliis Curiis, post responsum « Nihil habeo addendum, actuarius scribit: « Et expleto examine supradictae personae ego Notarius, de mandato Rev.mi Iudicis, integram eiusdem depositionem perlegi, data ei facultate addendi, minuendi, corrigendi, ipsa vero ratam habuit, iuramentum de veritate dictorum et de secreto servando praestitit et se subscripsit ut sequitur. N. N.

Dimisso supradicto teste statim introducitur in aulam Tribunalis alter testiis N. N., qui post praestitum de veritate dicenda iuramentum respondet ut sequitur.

Alexander N., rusticus, catholicae fidei, 50 annos natus, agricola, habito in vico Terra Sicca, sub paroecia Hr., in causa sub fide iurata depono.

1. Coniuges Ioannem et Aemiliam Ontano bene novi, quia simul habitavimus a teneris annis.

2. Nescio, utrum Aemilia libenter sese Ioanni Ontano copulaverit; viri graves narrabant illam ei propter eius divitias nupsisse.

3. Vitam eorum coniugalem bene non novi, per breve enim tempus simul cohabitarunt, a die dominica nempe ad feriam quintam, lites inter eos nullae fuerunt. Ioannes Ontano ex America reversus erat, matrimonium cum Aemilia iniit et una cum ea in Americam redire volebat, sed oculorum infirmitas impedivit, quominus uxor tunc in Americam proficisceretur, postea vero bellum est ortum. Ioannes Ontano habebat tesseram itinerariam pro navigatione emptam, ulterius exspectare non potuit et profectus est solus in Americam.

4. Coniugibus Ontano progenies non erat, quia simul qua coniuges non cohabitarunt, illa eum non amabat. Aemilia ipsa dixit se commercium coniugale cum merito non habuisse. Ea mihi hoc dixit antequam una cum amasio suo, milite, abiret. De eius veracitate nihil dicere valeo. Non puto eam hoc dixisse, ut per simulationem iustificaret sum modum agendi erga maritum.

5. Post abitum mariti in Americam bona fama non gaudebat. Ioannes Ontano est vir bonus, religiosus, bonis imbutus moribus, verax et sincerus. Credi ei potest. Depositio haec mihi est perlecta, eam iuramento et subscriptione confirmo.

Alexander N., scribendi nescius.
Sac. I. Puodys, Iudex instructor.
Sac. Antonius Vidmont, Notarius.

13. Iuramentum testium.

Formula iuramenti
(de veritate dicta pro testibus).

Iuro, etc.

14. Notitiae de religione et veracitate testium exquiruntur.

Undae, die 28. IX .1923 *an., N.* 1739.

R. Domino Parocho ecclesiae in Hr.

Per praesentes Reverentia Tua rogatur, ut notitias de religione et veracitate Iosephi Ku., Alexandri N., et Elisabeth W. de domo M. infrascripto Iudici Instructori transmittat. Tres memoratae personae in vico Terra Sicca, sub curae Tuae commissa paroecia, habitant.

Sac. I. Puodys, Iudex instructor.
Sac. Antonius Vidmont, Notarius.

Clarissimo Iudicio Diocesano Undanensi.

15. Testimonium de relig. et veracitate testium.

Respondens ad litteras Clarissimi Iudicii Dioecesani diei 28 septembris a. c. N. 1739, quoad religiositatem et veracitatem parochianorum meorum infrascriptorum qui in vico Terra Sicca habitant, honori mihi duco testari quae sequuntur: Iosephus Ku. Alexander N. et Elisabeth W., in quantum mihi notum est, in rebus fidei parum sunt instructi et sunt indifferentes. In Iudicio vero saltem Iosephus Ku. verax esse posset iam propter ipsam ambitionem et respectum humanum: Alexander N. et Elisabeth W. minus hoc sub respectu fidem merentur.

Datum in loco Hr., die 15 octobris 1923 an., N. 91.

Sacerdos Sixitus H. Ginas, Parochus de Hr.

16. Orator testes reptimae manus indicat.

In calce libelli parochi ecclesiae de L. diei 25 V. 1923, N. 175, sequens invenitur adnotatio: Ioannes Ontano rogat, ut sequentes personae qua testes septimae manus examini iudiciali subiiciantur: 1) Iosephus Ontano; 2) uxor eiusdem Petronilla de domo W., habit. Undae, via Castagna N. 4; 3) Bronislaus Lituanus; et 4) uxor eiusdem Malvina de domo C., habit. Undae, via Moni-

tionis N. 6; 5) Ioannes Iano; 6) Adamus Lituanus habit. in vico L., sub paroecia Hr.; 7) Ursula Ontano habit. in vico Terra Sicca, sub paroecia Hr.

Datum Undae, die 4. XI. 1923.

A. Vidmont, Notarius.

Testes qui Undae degunt citati sunt, ad comparendum die 12. XII. 1923 an., per schedas citatorias N. 2046-2049, in forma indicata sub N. 3 actorum processus.

A. Vidmont, Notarius.

QUAESTIONES.

17. Interrogatoria pro examine testium septimae manus.

conscriptae a Defensore vinculi pro examine iudiciali testium 7.mae manus in causa coniugum Ontano.

Generales.

Speciales.

1. Cuius rei gratia testis vocatus sit in Iudicium; undenam hoc sciat.

2. An testis bene cognoscat coniuges Ioannem et Aemiliam Ontano, qua occasione eos noverit.

3. An ii obilgationes religionis adimpleant, an bonis utantur moribus.

4. An ii semper dicant veritatem; an dicant veritatem etiamsi hoc fuerit contra eorum interesse; an semper eis credi possit.

5. Cur ii non cohabitent simul; an concors fuerit eorum convictus, an ii habuerint inter se copulam coniugalem; unde hoc sciat et quando resciverit.

6. An possit credi quando Ioannes Ontano et eius uxor, ut sese a matrimonio liberent, affirmant copulam coniugalem inter se non habuisse; cur testis ita sentiat.

7. Quid testis addere velit.

A. Savo, Def. v.

In Dei nomine. Amen.

18. Examen iudiciale testium septimae manus ex parte oratoris.

Anno Domini 1923, mense decembri, die 12, hora 11, in urbe Unda, in aedibus Curiae Dioecesanae, coram R. D. Ioanne Puodys,

iudice subdelegato, adstantibus R. D. Adamo Savo, defensore vinculi, et infrascripto actuario, comparuerunt testes in causa dispensationis matrimonii coniugum Ontano-Pala. Iudex iusiurandum a testibus petit et accipit iuxta modum et formulam praescriptam. Deinceps, postulante defensore vinculi, Iudex schedam quam idem defensor clausam exhibuerat, continentem interrogatoria testibus septimae manus proponenda, reserat, et statim procedit, iuxta eadem interrogatoria, ad examen testium, qui ad singulas quaestiones respondent ex ordine ut sequitur.

Vocor Bronislaus Lituanus, catholicae fidei, officialis politiae, 45 annos natus, habito Undae, via Monitionis N. 6, memor praestiti iuramenti in causa depono.

1. In Iudicium vocatus sum in causa matrimonii Ioannis Ontano. Scio hoc, quia citationem accepi.

2. Ioannem Ontano cognosco bene, quia in eodem vico crevimus. Aemiliam vero Ontano minime cognosco.

3. Ioannes Ontano obligationes religionis adimplet, bonis utitur moribus, in quantum eum cognosco.

4. Is verax est, credo eum dicere verum etiam in rebus contrariis suo interesse.

5. Post nuptias celebratas Ioannes Ontano in Americam abiit, uxorem vero in vico Terra Sicca, sub paroecia Hr., reliquit; ulterius, is a matre sua rescivit de vita turpi suae uxoris; uxor ei scripsit negando hoc, et is magis credidit uxori quam matri. Redeundo ex America is dona huic offerenda attulit, sed hanc domi non invenit, quia cum alio viro abierat et vitam ducebat inhonestam. Uxor tentavit sese reconciliare cum marito, sed hic noluit. Post celebratas nuptias ii breviter simul cohabitarunt neque tempus iis suppetiit ad dissensiones. Nescio, an ii commercium coniugale secum habuerint.

6. Ioanni Ontano, affirmanti se copulam coniugalem cum uxore non habuisse, credi potest eo magis quod is breviter cum ea cohabitavit et homo timidus est.

7. Nihil habeo addendum, perlectam mihi depositionem pro mea agnosco eamque iuramento et subscriptione confirmo.

B. Lituanus.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Vocor Petronilla Ontano, nata W., 37 annos nata, catholicae fidei, rei domesticae gerendae operam do, dego Undae, via Castagna N. 4, memor praestiti iuramenti in causa depono.

1. In Iudicium vocata sum in causa matrimonii Ioannis Ontano fratris mei mariti Iosephi Ontano, quod ideo scio, quia citationem accepi.

2. Ioannem Ontano cognosco bene inde a 18 annis; Aemiliam vero Ontano vidi semel.

3. Ioannes Ontano uti frater mei mariti saepe nos invisit.

Ioannes Ontano obligationes religionis adimplet, ipsa eum vidi ad sacramentum paenitentiae accedere; de illa vero nihil in hac re dicere possum. Ioannes Ontano bonis utitur moribus. De Aemilia vero audivi res malas: ille mittebat ei pecuniam, ea vero cum alio viro in concubinatu vivebat.

4. Ioannes Ontano est sine ullo dolo, verax; de illa vero nihil dicere possum. Puto Ioannem Ontano dicere veritatem etiam in re contraria suo interesse, de sua vero uxore nihil dicere possum, Ioanni Ontano semper credi potest.

5. Ii non cohabitant simul ob vitam inhonestam Aemiliae Ontano. Post nuptias celebratas ii admodum breviter simul cohabitarunt et puto concorditer, quia ille eam amabat. Ioannes Ontano ex America reversus dixit mihi se commercium coniugale cum uxore minime habuisse, Aemilia vero brevi post eius discessum in Americam mulieribus in vico Terra Sicca dixit se cum marito copulam coniugalem non habuisse, quia maritus fidem suam coniugalem post suum in Americam adventum se exploraturum dixerit.

6. Ioanni Ontano affirmanti se copulam coniugalem cum uxore non habuisse credi potest. Ioannes Ontano est homo sine dolo et verax.

7. Depositio haec mihi est perlecta eamque iuramento et subscriptione confirmo.

Petronilla Ontano.

Vocor Malvina Lituanus, de domo C., catholicae fidei, rei domesticae gerendae operam do, 40 annos nata, dego Undae, via Monitionis N. 6, memor praestiti iuramenti in causa depono.

1. In ius vocata sum qua testis in causa coniugum Ontano. Id scio, quia citationem iudicialem accepi.

2. Ioannem Ontano cognosco inde a 15 annis; is saepe invisit fratrem suum Iosephum Ontano, quocum nobis amicitia est. Aemiliam Ontano non novi.

3. Ioannes Ontano obligationes religionis adimplet, optimis utitur moribus.

4. Is verax est, ei credi potest etiam in casibus ei incommodis.

5. Iuxta verba ipsius Ioannis Ontano et eius fratris Iosephi, ille non cohabitat cum uxore unice ob vitam uxoris inhonestam. Post nuptias celebratas ii valde breviter simul cohabitarunt, puto eos concorditer cohabitasse, quia ille eam amabat. A fratre illius Iosephe Ontano, viro omnino fide digno, audivi tribus abhine annis illum commercium coniugale cum uxore non habuisse.

6. Ioanni Ontano affirmanti se commercium coniugale cum uxore non habuisse credi potest, quia verax et religiosus est.

7. Nihil habeo addendum, depositio haec fuit mihi perlecta, eamque iuramento et subscriptione confirmo.

M. Lituanus.

Vocor Iosephus Ontano, 46 annos natus, catholicae fidei, officialis status, dego Undae, via Castagna N. 4, memor praestiti iuramenti in causa depono.

1. In Iudicium vocatus sum in causa matrimonii mei fratris Ioannis Ontano; id scio, quia citationem iudicialem accepi.

2. Ioannem Ontano optime novi uti fratrem germanum, eius uxorem Aemiliam minus bene cognosco.

3. Frater meus Ioannes obbligationes religionis adimplet, bonis utitur moribus.

4. Meus frater est verax, dicit veritatem etiam in casibus sibi incommodis.

5. Ii simul non cohabitant, quia illa eum deseruit et vivit inhoneste eum Ladislao Kr. Post nuptias ii cohabitarunt simul breviter et concorditer. Ii capulam coniugalem inter se non habuerunt. Ipse Ioannes ex America redux id mihi dixit, Aemilia vero Ontano, quando is erat in America, mulieribus de vico Terra

Sicca dixit se commercium coniugale cum marito non habuisse. Hoc ideo factum est, quia Ioannes fidem illius coniugalem post illius in Americam adventum explorare intendebat.

6. Assertionibus Ioannis Ontano, quod nempe copulam coniugalem cum uxore non habuerit, credi potest, quia verax et religiosus est.

7. Pro bono mei fratris rogo, ut processus iudicialis acceleretur. Depositio haec mihi est perlecta, eam pro mea agnosco, iuramento et subscriptione confirmo.

Iosephus Ontano.

Sac. Ioannes Puodys, Iudex instructor.

Antonius Vidmont, notarius.

19. Notitiae de religione et recitate testium qui supra.

1.) In calce schedae citatoriae Bronislai Lituanus sequens invenitur adnotatio: « Attestor hisce dictum Bronislaum Lituanus pro tempore quo in mea parochia commoratus est probitatis suae specimen dedisse bonaque fama ac moribus praeditum esse. In quorum fidem. *Undae,* die 11. XII. 1923 an. L. S. *A. Butko,* rector ecclesiae Immacul. Concept. B. M. V. ». 2) Hisce testificar Petronillam Ontano esse fide dignam et catholicam optimam. *Undae,* die 11. XII. 1923 an. *Petrus Tarno,* parochus ecclesia SS. Ap. Phil. et Iacobi. 3) In calce schedae citatoriae Malvinae Lituanus sequens invenitur adnotatio: « Attestor hisce dictam Malvinam Lituanus pro tempore quo in mea parochia commorata est suae probitatis specimen dedisse bonaque fama ac moribus praeditam esse. In quorum fidem L. S. *A Butko,* rector Undanensis ecclesiae Immaculatas Concept. B. M. V. ». 4) Hisce testificor Iosephum Ontano esse fide dignum et catholicum optimum. L. S. *Undae* die 11. XII. 1923 an. *Petrus Tarno,* parochus ecclesiae SS. Ap. Phil. et Iacobi.

Undae, die 13. VII, 1923, *N.* 2316.

20. Examen reliquorum testium committitur parocho loci Hr.

R. Domino Sixto Ginas, Parocho Ecclesiae in Hr.

Hisce subiunctae litterae quaestionum Defensoris vinculi dioecesis Undanensis diei 20. VI, a. c. in causa assertae inconsummationis matrimonii inter Ioannem Ontano et Aemiliam Pala Tibi, R. Domine, transmittuntur, ut, una cum R. D. Ladislao Sadus,

parocho ecclesiae de L. ut defensore vinculi et R. Domino Stanislao Dobel ut notario, examini iudiciali subiicias, iuxta praefatas litteras quaestionum, sequentes personas qua testes septimae manus, videlicet: 1) Ioannem Iano (in vico Lasun commor.), 2) Adamum Lituanus et 3) Ursulam Ontano, qui in vico Terra Sicca habitant. Testimonium Tuum de religione et veracitate istarum personarum actis adiungas oportet.

Sac. Ioannes Puodys, iudex instructor.
Antonius Vidmont, notarius.

21. Iuramentum testium.

Formula iuramenti
(de veritate dicenda pro testibus).

Ego N iuro etc.

Protocollon
examinis iudicialis testium in causa matrimonii coniugum Ontano.

22. Examen iudiciale testium septimae manus.

1924 anno, mense Ianuario, die 3, vi mandati Undanensis Iudicii Episcopalis diei 13. XII. 1923 an. N° 2316, in causa matrimonii inter Ioannem Ontano et Aemiliam Pala, examini iudiciali subiecti sunt testes qui sequuntur.

Vocor Ioannes Iano, 55 annos natus, catholicae fidei, obligationes religionis adimpleo, iudicialiter non fui punitus, dego in vico Lasun, sub paroecia Hr., a nativitate.

1. Testis in Iudicium Episcopale designatus sum a Ioanne Ontano, ut deponam in causa eius matrimonii cum Aemilia Pala. De eius nuptiis et hymenaeo audivi ab hominibus, quia in vicinia Ioannis Ontano habito.

2. Ioannem Ontano optime novi qua vicinum, habitantem locum qui distat una quarta kilometri parte. Aemiliam vero Ontano, de domo Pala, cognosco solummodo ex visu et de eius vita audivi aliquid ab hominibus.

3. Ioannes Ontano frequentat ecclesiam, accedit ad sacramentum poenitentiae et moribus hucusque utitur bonis. De Aemilia id tantum scio, quod anno 1917 una cum milite quodam exercitus poloni abierat.

4. Ioannes Ontano semper est verax, nullo habito respectu ad exitum causae et semper ei omnino credi potest. De Aemilia Pala nihil dicere valeo, quia eam non cognosco.

5. Non ii cohabitant simul, quia Ioannes Ontano brevi post nuptias in Americam profectus est, Aemiliae pollicitus se epistolam et pecuniam missurum, ut et ipsa in Americam veniret. Sed Aemilia, epistola et pecunia acceptis, in Americam non est profecta, nescio cur; postea ea notitiam cum militibus iunxit et una cum eis Terram Siccam, vicum natalem Ioannis Ontano, reliquit. De eorum commercio coniugali nihil audivi, nihil novi.

6. In quantum cognosco Ioannem Ontano mihi persuadere non possum, eum divortium fraude quaerere. De Aemilia vero nihil certi dicere possum.

7. Nihil addendum habeo. Depositio quae supra alta voce est perlecta, eam pro mea agnosco, iuramento et cruces apponendo manu propria confirmo +++

Vocor Adamus Lituanus, 31 an. natus, dego in vico Terra Sicca, obligationes religionis adimpleo, iudicialiter punitus non fui, catholicae fidei sum cultor.

1. Testis designatus sum a Ioanne Ontano, ut deponam de eius veracitate, quia cognosco eum inde a nativitate.

2. Neque nuptiis, neque hymenaeo interfui, quia militiae operam dabam, sed rem bene cognosco, quia pater meus me per epistolam certiorem reddidit. Ioannem cognosco, uti dixi, a nativitate, Aemiliam vero ex visu tantum.

3. Aemiliam non in tantum cognosco, ut de eius vita aliquid dicere voleam. Ioannem vero Ontano cognosco bene et scio eum fuisse religiosum, obligationes religionis adimplevisse et adimplere, hominem fuisse iustum et optimis moribus imbutum.

4. Nunquam audivi Ioannem Ontano mendacium aliquod commisisse in aliqua re. Aemiliam non novi.

5. Scio solummodo Aemiliam post abitum Ioannis Ontano in Americam in eius domo choreas vespertinas cum militibus duxisse et tandem cum eisdem discessisse. Tunc temporis domi eram. De eorum commercio coniugali ipse nihil scio, sed ab hominibus audiebatur Aemiliam cum marito suo copulam coniugalem non habuisse.

6. De Aemilia nescio quidquam, de Ioanne affirmare in casu non possum, sed in quantum eum cognosco, admittere non possum, eum mentiri.

7. Nihil habeo addendum. Depositio quae supra fuit mihi alta voce perlecta, eam pro mea agnosco, iuramento et subscriptione confirmo.

Adamus Lituanus.

Vocor Angela Ontano, plus quam 80 annus habeo aetatis, sum fidei catholicae, obligationes religionis adimpleo, iudicialiter non fui punita, dego in vico Terra Sicca.

1. In Iudicium veni rogata a filio meo Ioanne Ontano, ut deponerem de turpi modo agendi Aemiliae Pala, quacum simul cohabitavi post abitum Ioannis in Americam.

2. Ioannem Ontano cognosco uti filium. Aemiliam vero qua uxorem filii, antea non eam cognovi.

3. Ioannes Ontano sacramento paenitentiae utebatur, ecclesiam frequentabat qua bonus christianus; Aemilia, e contrario, numquam orabat, neque se signo crucis signabat, imo mihi domi oranti insultabat; frequentabat ecclesiam, sed propter respectum humanum tantum; sese exornabat, cum viris notitiam iungebat. Turpem ducebat vitam, vespere recipiebat in habitaculum omnes ex vico iuvenes.

4. Ioannes Ontano semper fuit verax, illa vero mendax, photographiam Ioannis ex America transmissam pedibus conculcavit.

5. Neuter vult cohabitare simul, quamvis post celebratas nuptias concorditer vixerint. Copulam carnalem inter se non habuerunt: Aemilia mihi dicebat: liberos meos non educabis, quia qualis fui, talis permaneo.

6. Ioanni credi potest, de Aemilia vero nescio, quia ab eius discessu 1917 anno non amplius sum cum ea locuta, non eam cognosco.

7. Nihil habeo addendum. Ea quae supra mihi alta voce sunt perlecta, agnosco qua mea, iuramento et crucibus confirmo +++

Sac. Ioannes Ginas, iudicis instructoris substitutus.

Sac. L. Sadus, defens. vinc. substitutus.

Sac. Stanislaus Dobel, notarius substitutus.

Praesentibus honori mihi duco testari Ioannem Iano ex Lasun, Adamum Lituanus et Angelam Ontano ex Terra Sicca paroeciae Hr. mihi esse notos qua personas Ecclesiae et s. religioni deditas, ad sacramenta pluries in anno accedere, in suo vico et paroecia fama honestorum et veracium hominum gaudere. Datum in Hr. die 5 Ianuarii 1924 an. N° 6.

L. ✠ S.

Sacerdos Sixtus Ginas.

Clarissimo Iudicio Diocesano Undanensi.

23. Acta Iudici instructori mittuntur.

In exsecutionem mandati Iudicii Episcopalis diei 13 decembris 1923 an. N° 2316, in causa inconsummationis matrimonii inter Ioannem Ontano et Aemiliam Pala, hisce sub iungo:

1) Duas formulas iuramenti testium, 2) protocollon examinis eorumdem testium in causa coniugam Ontano et 3) testimonium de religiositate et veracitate testium.

Datum in oppido Hr., die 5 ianuarii 1924 an. N° 9.

Sac. Sixtus Ginas, parochus.

Iudicio Episcopali Undanensi.

24. Testimonium de religione et veracitate oratoris.

Praesentibus attestor Ioannem Ontano ex vico Terra Sicca, religiositatem eius quod attinet, parum mihi esse notum, quia non ita pridem ex America reversus est, veracitatem eius in Iudicio quod spectat, videtur mihi fidem mereri. Datum in oppido Hr., die Ianuarii 1924.

L. ✠ S.

Sac. Sixtus Ginas, parochus.

25. Aemilia Ontano, n. Pala, pars conventa, citatur ad comparendum.

Aemilia Ontano, nata Pala citata est ad comparendum per schedam citatoriam N. 798, ut N. 3 actorum, quae die 21 iunii 1922 an. comparuit et, post praestitum iuramentum, examen iudiciale subiit.

26. Interrogatoria pro exam. partis conventae.

Litterae quaestionum

a Defensore vinculi conscriptae pro examine iudiciali Aemiliae Ontano in causa assertae inconsummationis matrimonii.

Quaestiones generales.

1) quamodo vocaris? 2) quae tibi aetas, conditio vitae et religio? Ubinam habitas? 3) A quonam vocata in iudicium? 4) Memorne sis iuramenti et obligationis sincerae veritatis dicendae?

Quaestiones speciales.

1. Quomodo pars maritum suum cognoverit, an libenter ei nupserit, an de consensu parentum.

2. Quanto tempore cum marito suo cohabitaverit; an concors fuerit cohabitatio; an pars tempore cohabitationis simul cum marito condormierit; an commercium coniugale locum habuerit, cur non habuerit locum et cuiusnam coniugis ob causam.

3. An pars dixerit alicui commercium coniugale locum non habuisse, cui, quando, quem ad finem; an pars manifestaverit causam inconsummationis matrimonii, cui nempe et quam ob causam; sintne qui sciant commercium coniugale locum non habuisse inter coniuges.

4. Quisnam causam separationi dederit et quomodo haec contigerit.

5. An pars velit impraesentiarum cohabitare cum marito.

6. Quid pars addere velit.

A. Savo, v. Def.

27. Examen iudiciale partis conventae.

Die 21 iunii 1922 an. idem Iudex instructor una cum iisdem officialibus in eadem causa iuratam Aemiliam Ontano, de domo Pala, examini iudiciali subiecit. Quae pars conventa ad quaestiones generales respondit modo sequenti:

Vocor Aemilia Ontano, de domo Pala, rustica, catholicae fidei, 24 annos nata, famula, dego in vico Messis, memor praestiti iuramenti depono.

Ad quaestiones speciales respondit prout sequitur:

1. Ioannem Ontano duas hebdomades ante matrimonii cele-

brationem cognovi. Ei nupsi meae voluntatis impulsu, de consensu patris, mater autem e vita cesserat.

2. Simul cum marito cohabitavi post nuptias a die dominica ad feriam quintam, h. e. 4 dies. Cohabitavimus concorditer. Per istud tempus eodem toro cum marito cubavimus. Commercium coniugale inter nos locum non habuit, quia ille hoc noluit et differebat ad tempus quo ambo in America futuri eramus; innocentiam meam per medicos in America explorare intendebat, prout hoc dixit etiam Sabinae Ontano; locum eius commorationis per epistolam Iudicio indicabo.

3. Me copulam coniugalem cum marito non habuisse dixi Elisabeth W. uno circiter anno a nuptiis celebratis elapso. Quaedam mulieres in vico Terra Sicca narrare caeperunt Ioannem ideo solum in Americam esse profectum quod turpi morbo laborasset; ego respondi: forte verum hoc est, quia neque mecum commercium coniugale habuit. De hac re nemini amplius locuta sum.

4. Maritus solus in Americam est profectus, me secum non assumpsit ob infirmitatem meorum oculorum, quae unius mensis curationem exigebat, maritus vero exspectare non potuit, ut ipse hoc dixit. Ego autem non ei credebam. Ante matrimonium celebratum mihi promisit me sumere secum. Postquam ante matrimonium celebratum mihi notum factum est pro oculis meis curandis tempus unius mensis exigi, illi nubere nolui. Sed ille tranquillabat me dicendo me posse loco per duas hebdomades curari et per alias duas in itinere et ita ambos non posse simul in Americam proficisci. Post matrimonium celebratum ille me reliquit, non sumpsit secum, quamvis me sumere potuerit. Tesseram itinerariam navigationis nondum habebat. Mense elapso ab abitu suo in Americam maritus transmisit mihi epistolam et pecuniam pro expensis itineris vocavitque me in Americam. Primo non suscepi istud iter, quia oculi nondum sani erant; oculis vero sanatis bellum exortum iter suscipiendum impedivit. Mense elapso a prima epistola accepta aliam epistolam obtinui in qua vocabat me in Americam minitando, si id denegaverim, ulterius se cum duabus gallis puellis cohabitaturum esse sicuti impraesentiarum iam cohabitaret.

5. Velim cohabitare cum Ioanne Ontano et postquam rescivi

eum ex America rediisse, adivi eum, sed is mecum cohabitare non vult.

Interrogata ex officio, respondeo: quando bellum ortum est, ego habitabam apud meum patrem in Terra Sicca; anno 1915 profecta sum in regnum Poloniae una cum Ladislao Kr., quocum etiam nunc cohabito sicuti cum marito.

6. Nihil mihi addendum occurrit, perlectam vero mihi depositionem confirmo iuramento et subscriptione adiiciendo, epistolas de quibus supra, lectas fuisse a Genovefa Duonas, commorante in Terra Sicca, et Bronislava Iano, commor. in vico Kursi. Aemilia Ontano, scribendi nescia.

Sac. I. Puodys, iudex instructor.
Sac. Ant. Vidmont, notarius.

28. Exquiruntur testes septimae manus a parte conventa.

Undae, die 13. XI. 1922 *an., N.* 1732.

Dominae Aemiliae Ontano, in vico Messis.

Iudicium Episcopale Undanense praesentibus Dominam Aemiliam Ontano rogat, ut sibi indicet locum commorationis Sabinae Ontano et saltem tres personas quae de eius religiositate et veracitate testificari valeant in causa eius inconsummati matrimonii cum Ioanne Ontano.

Sac. I. Puodys, iudex instructor.
Sac. A. Vidmont, Notarius.

29. Pars conventa indicat testes septimae manus.

Die 30 martii 1923 an. Aemilia Ontano venit in Iudicium et declaravit quae sequuntur: Locum commorationis Sabinae Ontano indicare non possum, quia detegere non valui, et rogo, ut qua testes mea ex parte examini iudiciali sequentes personae subiiciantur: 1) Genavefa Duonas, commor., in Terra Sicca, 2) Bronislava Rugis, comm. in vico Kursi, 3) Stephania Iano, comm. ibid. et 4) Genovefa Lesz. comm. in vico Rudzis.

Undae, die 30. III. 1923.

Sac. A. Vidmont, Notarius.

Supra enumeratae personae citentur ad comparendum die 30 maii a. c. Undae, die 30 III. 1923. 30. Decretum pro citatione testium.

Sac. I. Puodys, iudex instructor.
Sac. A. Vidmont, Notarius.

Die 30 maii 1923 an. sac. Ioannes Puodys, iudex instructor, praesente Adamo Savo, defensore vinculi et Antonio Vidmont, Notario in causa dispensationis matrimonii Ontano-Pala examini iudiciali subiecit infranotatam personam, quae post praestitum legitimum iuramentum deposuit prout sequitur. 31. Examen iudiciale testum e latore partis conventae.

Vocor Genovefa Duonas, 22 annos nata, catholicae fidei, adiuvo parentes meos in rusticatione gerenda, praestiti iuramenti memor in causa depono. Sum consanguinea Ioanni Ontano in 2° gradu.

1. Vocata sum in Iudicium a parocho de Hr. in causa divortii Ioannis Ontano.

2. Novi bene et Ioannem Ontano et eius uxorem Aemiliam. Illum cognosco, quia in eodem vico habitamus, hanc vero a nuptiis celebratis. Aemilia habitavit in isto vico per duos vel tres annos post matrimonium contractum.

3. Ambo obligationes religionis adimplent. Ioannes Ontano verax est, illa autem non est verax.

4. Illi simul non cohabitant. Post matrimonium celebratum illi cohabitarunt simul per tres dies, postea vero non amplius cohabitarunt. Ioannes Ontano tribus diebus a nuptiis celebratis elapsis in Americam abiit, illa vero in vico Terra Sicca mansit; per integrum annum heic commorata est, postea e Terra Sicca una cum milite quodam discessit. Scio ista omnia, quia ea in vico Terra Sicca, ubi ego habitabam et habito, locum habuerunt.

5. Post matrimonium celebratum per tres dies, scilicet usque ad abitum Ioannis in Americam illi simul cohabitarunt. Liberi eis non erant; scio hoc quia in eodem vico cum Aemilia habitabam.

6. Aemilia Ontano post discessum mariti in Americam veniebat, ut simul cum puellis luderet in vico. Puellae nolebant eam admittere eo quod esset nupta. Illa vero respondebat se virginem

manere ac prius esset, se commercium coniugale cum marito non habuisse. Hoc locum habuit prima hebdomada post abitum Ioannis Ontano in Americam, uti audivi ex ore ipsius Aemiliae. Commercium coniugale, sicuti Aemilia mihi dixit, inter se non habuerunt, ut ita daretur facultas explorandi per medicos Aemiliae fidem coniugalem post adventum in Americam. Aemilia una cum marito in Americam proficisci non potuit, quia per aliquod tempus oculis suis curandis incumbrere debuit, uti scio ab ipsa Aemilia, quae omnia audivit etiam Sabina Ontano, quae alicubi Varsaviae commoratur. Praeterea, legi ab Ioanne Ontano missam ex America epistolam in qua scripserat, ut Aemilia se bene nutriret et vestiret nec non ut sibi fidelis esset, quia intentionem habebat eam subiiciendi inspectioni medicali in America: si non est fidelis, domum sine mora relinquat.

7. An veritatem dixerit Aemilia quando affirmabat se commercium coniugale cum marito non habuisse, ego nescio, sed recordor: quando ei mendacium obiiciebatur quoad hoc, ea iuravit ita esse uti dixerat. Ioannes Ontano honestam vitam agit, uxori reconciliari non vult, quia ea vitam inhonestam duxerit. Depositio quae supra fuit mihi perlecta eamque iuramento et subscriptione confirmo.

Genovefa Duonas.
Sac. Ioannes Puodys, iudex instructor.
Sac. Antonius Vidmont, Notarius.

32. Examen caeterorum testium committitur R. D. Ladislao Sadus.

Die et loco at supra Iudex instructor decrevit: Examen testium, qui hodie non comparuerunt committatur R. D. Ladislao Sadus qua iudici, adscitis R. D. Sixto Ginas qua defensore vinculi et R. D. Stanislao Dobel qua notario.

Sac. I. Puodys, iudex instructor.
Sac. A. Vidmont, Notarius.

Undae, die 23 *iunii* 1923 *an., N.* 1369.

R. Domino Ladislao Sadus, Parocho de L.

Una cum hisce litterae quaestionum N. 41 Tibi, R. Domine, transmittuntur, ut una cum R. D. Sixto Ginas qua defensore vinculi et R. D. Stanislao Dobel qua notario, iuxta memoratas litteras Bronislavam Rugis (in vico Kursi), Stephaniam Iano (ibidem) et Genovefam Lesz (in vico Rudzi) qua testes septimae manus in causa inconsummationis matrimonii inter Ioannem Ontano et Aemiliam Pala examini iudiciali subiicias.

Sac. Ioannes Puodys, iudex instructor.
Sac. Antonius Vidmont, Notarius.

33. Examen iudiciale testium.

In exsecutionem mandati Iudicii Episcopalis Undanensis diei 22 iunii 1923 an. sub N. 1369, peractum est examen testium in causa matrimonii Ioannis Ontano cum Aemilia Pala. Testes deposuerunt, praestito praescripto iuramento, die 25 iulii 1923 an. prout sequitur.

1. Vocor Stephania Iano, filia Augustini, 65 annos nata, nulla mihi necessitudo est cum personis in causa. De matrimonio Ioannis Ontano cum Aemilia Pala sum edocta quia cum familia huius in praedio Cisz simul habitavimus, etiam hymenaeo interfui. Ioannem Ontano vidi solummodo in convivio nuptiali. Aemiliam cognosco bene, obligationes religionis adimplebat et erat honesta. An semper ei credi possit et utrum veritatem dicat quando haec ei incommodo esse possit, cum certitudine affirmare non valeo. Post matrimonium celebratum illi concorditer vivebant. Matrimonium celebratum est die dominica, e domo sponsae profecti sunt feria II, comitatus nuptialis rediit feria III, Ioannes Ontano feria V iter in Americam aggressus est. Aemilia mansit cum marito solummodo 48 horas circiter. Initio de eorum copula coniugali non percontabar, sed anno currenti, tempore Quadragesimae vidi Aemiliam quae mihi dixit se commercium coniugale cum marito suo non habuisse. Sed utrum verum dixerit, ego dicere non possum et an mendacium non committat pro commodo proprio, ego

non audeo dicere quidquam. Post discessum mariti in Americam, conversando cum puellis, quae eam mulierem vocabant, dixit: sum sicut vos. Sed utrum commercium coniugale inter se habuerint, opinionem meam exprimere non possum. Nihil amplius in hac causa dicendum habeo, perlectam vero depositionem iuramento et subscriptione confirmo.

Stephania Iano.

Vocor Bronislava Rugis, filia Ioannis, 36 annos nata, nulla mihi necessitudo est cum personis in causa. Ioannem Ontano semel vidi in convivio nuptiali, cui ipsa interfui. Cum Aemilia habitabam in praedio Cisz; erat pia, religiosa, vitam agebat honestam; sociae eramus et mihi non mentiebatur; an sit verum dictura quando eius commodum erit in causa, nescio. Statim post Ioannis Ontano in Americam discessum, quia simul per duos tantum dies cohabitarunt, dixit mihi se eum non amare et nupsisse ei solummodo propter eius divitias. Pariter dixit mihi se commercium coniugale cum eo non hacuisse et videtur mihi verum dixisse, quia nihil me qua sociam celebat. Dixit vero hoc statim post discessum mariti in Americam. Ioannes Ontano saepe ei misit ex America epistolas. Rogatu Aemiliae epistolas istas legebam et rescribebam. Ioannes interrogabat Aemiliam, cur in Americam non veniret. Sed in nulla epistola interrogavit, num haberet prolem, quia, ut puto, erat de hac re certus: commercium coniugale non habuerat et ideo de progenie non percontabatur. Nihil habeo addendum, perlectam vero depositionem subscriptione confirmo.

Bronislava Rugis.

Vocor Genovefa Lesz, filia Vincentii, 47 annos nata, sum soror Aemiliae Pala. Ioannem Ontano primo cognovi in convivio nuptiali. Notum mihi est Ioannem Ontano et sororem meam Aemiliam fuisse religiosos et obligationes religionis adimplesse. Aemilia in vita quotidiana erat sincera et verax: an mendacium non sit commissura quando agetur de sua causa personali, fidem meam interponere non possum. Coniuges cohabitarunt tantummodo per aliquot dies, vivebant concorditer. Ioannes Ontano profectus est in Americam uxorem penes familiam suam relinquendo;

non eam sumpsit secum, quia pecuniam pro itinere sufficientem non habuit. Commercium coniugale inter eos locum non habuit; etenim statim post abitum mariti in Americam Aemilia mihi dixit eum esse senem et prudentem seque reliquisse virginem, ut post reditum dignoscere posset quomodo ipsa conversata esset. Nihil habeo addendum, perlectam vero depositionem subscriptione confirmo.

Genovefa Lesz, scribendi nescia +++
Sac. Ladislaus Sadus, iudex.
Sac. Sixtus Ginas, defensor v.
Sac. Stanislaus Dobel, Notarius.

34. Opinio tribunalis substituti de veracitate testium.

Testes quae supra examini iudiciali subiectae sunt sub iuramento, cuius formulae adnexae sunt, videntur esse conscientiae timoratae et deponere sine studio partium dicereque veritatem.

Sac. Ladislaus Sadus, iudex.
Sac. Sixtus Ginas, defensor v.
Sac. Stanislaus Dobel, Notarius.

Iudicio Episcopali Undanensi.

35. Acta remittuntur Iudici instruatoris.

Depositiones testium, quas vi mandati Iudicii Episcopalis de die 23. VI. 1923 an., N. 1369, in causa matrimonii coniugum Ontano, examini iudiciali subieci, una cum hisce transmittere honori mihi duco, adiectis formulis iuramenti.

Datum in oppido L., die 14 augusti 1923, n. 260.

Sac. Ladislaus Sadus, parochus de L.

Undae, die 29. I. 1924 *an., N.* 229.

A. R. Domino Adamo Savo, Defensori vinculi.

36. Exquiritur votum defensoris vinc.

Una cum hisce acta iudicialia in causa dispensationis matrimonii Ontano-Pala Tibi, A. R. Domine, transmittuntur, ut votum Tuum des ante processus in ista causa conclusionem. Acta infrascripto iudici ante diem 10 februarii proximi remittas oportet.

Sac. I. Puodys, iudex instructor.
Sac. A. Vidmont, Notarius.

37. Votum defensoris vinculi.

A. R. Dominus Adamus Savo, vinculi defensore acta iudicialia in causa dispensationis matrimonii Ontano-Pala infrascripto notario restituit declaravitque sibi nihil inquirendum superesse.

Undae, die 13. II. 1924.

Sac. A. Vidmont, Notarius.

38. Decretum conclusionis processus.

In processu super matrimonio quod contenditur ratum et non consummatum inter Ioannem Ontano et Aemiliam Pala, interrogato defensore vinculi qui declaravit sibi nihil amplius inquirendum superesse, perpensis omnibus actis, partium ac testium depositionibus et adnexis documentis, cum causa, attentis personarum ac rerum adiunctis, satis instructa sit, Iudex decernit clausam esse instructionem processus, et omnia acta in authentico exemplari, una cum voto Ill.mi ac Rev.mi Episcopi et defensoris vinculi, transmittenda esse ad S. Congregationem de disciplina Sacramentorum.

Undae, die 14 februarii 1924 an.

Sac. Ioannes Puodys, iudex instructor.
Sac. Antonius Vidmont, actuarius.

39. Exquiruntur animadversiones votumque defensoris vinali.

Undae, die 14. II. 1924 *an. N.* 385.

A. R. Domino Adamo Savo, Defensori vinculi.

Acta iudicialia in causa dispensationis matrimonii Ontano-Pala una cum hisce Tibi, A. R. Domine, transmittuntur, ut animadversiones Tuas super processus instructione conficias votumque Tuum in ista causa des, ad normam canonis 1985 Codicis Iuris Canonici et n. 98 *Regularum* S. Congregationis de disciplina Sacramentorum diei 7 maii 1923. Acta infrascripto iudici ante diem 29 februarii curr. remittas oportet.

Sac. Ioannes Puodys, iudex instructor.
Sac. Antonius Vidmont, actuarius.

I. Animadversiones circa instructionem processus.

1. Iudex Instructor duabus vicibus delegavit: una vice R. D. Ladislaum Sadus altera R. D. Sixtum Ginas ut hi delegati cum sibi adscitis duobus ministris examen testium perficerent. Hi delegati et eorum ministri iusiurandum de officio fideliter adimplendo ac de secreto servando forsan non praestiterunt, quia de dicto iureiurando nec in instructionibus ad rem opportunis de praestando nec in actis de praestito mentio fit.

40. Animadversiones defensoris vinculi eiusque votum.

2. Iudex Instructor a parte conventa saltem tres testes, qui septimae manus audiunt, indicandos postulavit et indicatis quatuor testibus satisfactus est nec ex officio tunc numerum auxit.

3. Iudex Instructor pluribus vicibus praetermisit iusiurandum exquirendum a testibus de veritate dictorum et de secreto servando, quod simulque dicti sacerdotes delegati ad examen testium absolvendum omiserunt.

II. Animadversiones circa assertam inconsummationem matrimonii.

Orator Ioannes Ontano matrimonium inire cum Aemilia Pala voluit, ut ipse fatetur et quidem, cum Aemilia ipsi displicentiam suam ad matrimonium ineundum ostendisset, omnia fecit ut Aemilia sibi nuberet (resp. Aemiliae ad 4). Post matrimonium contractum Ioannes per quatuor dies noctesque cum uxore sua cohabitabat et in uno lectulo cum ea condormiebat (cfr. conf. Aemiliae et oratoris ad 3). Ex his praesumi debet actorem ad matrimonium suum consummandum tendisse et, nullo obstaculo ex parte uxoris obveniente, consumasse.

Actor tamen se matrimonium non consummasse asserit et quidem ob verecundiam. Ut recte asserta ratio aestimetur prae oculis habenda est 34 annorum aetas actoris, qui ubique versabatur et denuo in animo habuit in Americam proficisci. Profectus in Ame-

Ku, Alexandro N. (Qui omnes non sunt homines bonae famae,
Ab demonstrandum suum assertum actor provocat unice ad
duabus mulieribus tunc temporis habebat (depos. Aemiliae ad 4).
gendi certiorem facere de commercio suo peccaminoso quod cum
confessionem uxoris suae factam coram Elisabeth W., Iosepho
ricam ausus est per epistolam uxorem suam nescientem artem le-

cfr. testim. Parochi). Hi testes revera affirmant Aemiliam ipsis confessam esse inconsummationem sui matrimonii. Aemilia vero confitetur se confessam esse de non consummato matrimonio suo sed soli Elisabeth W. et nulli alii (dep. ad 3). Hic est ergo fons cur testes asserentes inconsummationem matrimonii Ioannis provocent ad confessionem Aemiliae.

Ad recte aestimandam confesionem Aemiliae praetermittendae non sunt circumstantiae in quibus dicta confessio facta fuit, nempe Aemilia confessa est quando sociae adhuc non coniugatae Aemiliam iam coniugatam nolebant admittere ad confabulationes communes recreationesque ducendas et quando praesumebant actorem ideo dereliquisse Aemiliam, quia morbo venereo affectus erat (dep. Aemiliae et testium).

Etiam notatu dignum est quod Aemiliae dicenti se matrimonium non consummasse sociae non credebant (dep. Duonas ad 7) et quod Aemilia usque nunc vitam cum quodam non uxorato ducit.

Ex his omnibus apparet confessionem partis conventae semel factam in circumstantiis dictis poni ab actore uti argumentum unicum demonstrans inconsummationem matrimonii sui. Talis vero demonstratio non sufficit ut praesumptionem iuris tollat.

Adamus Savo, vinc. Def.

41. Testificatio de authentiatate exemplaris actorum.

Facta collatione praesentis actorum exemplaris cum omnibus actis et documentis originalibus exsistentibus in archivo huius Undanensis Iudicii Episcopalis, testor infrascriptus constare de fideli versione, transcriptione et integritate eiusdem exemplaris, quod transmittitur ad Sacram Congregationem de disciplina Sacramentorum.

Datum Undae, ex aedibus Curiae Dioecesanae, die 24 mensis martii 1924.

In fidem

L. ✠ S.

Ioannes Puodys, presbyter, iudex instructor.
Antonius Vidmont, presbyter, actuarius.

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Vigore facultatis Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum diei 30 septembris 1921, N. 4382/21, in Curia Dioecesana Undanensi confectus est canonicus processus super asserta non consummatione et causis dispensationis circa matrimonium quod contenditur ratum et non consummatum inter Ioannem Ontano, oratorem in causa, et Aemiliam Pala, partem conventam.

42. Votum Rev.mi Ordinarii.

Ioannes Ontano, simplex operarius, 33 annos natus, caelebs, ex America in vicum natalem Terram Siccam, paroeciae Hr., reversus, dominica Palmarum 1914 an. cognovit rusticam puellam Aemiliam Pala, 19 annos natam, quam post duas circiter hebdamadas matrimonio sibi copulavit, scilicet die 27 aprilis eiusdem anni, in ecclesia paroeciali in loco L., dioecesis Undanensis. Coniuges per tres dies post nuptias celebratas in dicto vico Terra Sicca simul cohabitarunt communique lecto usi sunt, tamen matrimonium, uti ambo asserunt, minime consummarunt. Proficisci in Americam quam primum post matrimonium initum coniuges in animo habuerunt: Ioannes Ontano iam pridem emptam navigationis tesseram habebat et diu morari non potuit, uxor vero sua per unum saltem mensem oculorum curandorum causa in patria manere debebat. Talibus in circumstantiis orator statuit iter in Americam suscipere solus, uxore virgine relicta intacta, ut deinde, post eiusdem in Americam adventum, fidem eius coniugalem per experimentum medicale explorare posset. America adepta pecuniam transmisit orator uxori eamque invitavit, ut in Americam veniret quam primum. Bellum brevi ortum, impedivit quominus uxor in Americam proficisceretur; interea illicitos fovit, amores cum milite Ladislao Kr. De hac re Ioannem Ontano sua mater certiorem fecit. Sed ille uxori magis credidit quam matri et, pace post bellum redintegrata, in patriam ex America redux cum donis uxori offerendis comperit vera esse prorsus omnia quae sibi mater de uxore nuntiaverat. Aemilia, reditu mariti cognito, eum adivit ut sese reconciliaret: verum Ioannes repudiavit preces uxoris praevaricatricis et dispensationem super matrimonio suo utpote rato et non consummato exquirere statuit.

Processum super ista causa peractum quod attinet, haec animadvertenda videntur.

Inspectio corporalis Aemiliae Pala omissa est utpote inutilis, ipsa enim in iudicio confessa est se cum Ladislao Kr. cohabitare sicuti cum marito (resp. ad 5). Orator produxit primo tres testes qui tempore minime suspecto a parte conventa didicissent matrimonium suum mansisse inconsummatum, deinde septem testes qui nomine septimae manus veniunt et quatuor testes e latere partis conventae examini iudiciali subiecti sunt. De omnium 14 testium religione et veracitate notitiae collectae prostant in actis. In genere, processus satis bene videtur esse confectus et si in quibusdam non est adamussim ad *Regulas* S. Congregationis de Sacramentis diei 7 maii 1923 an. exactus, hoc ideo contigisse explicatur, quod processus iste magna ex parte peractus est ante laudatarum *Regularum* publicationem, postea vero sine gravi incommodo suppleri non potuit; sed neque necessarium id visum est, cum causa, attentis personarum et rerum adiunctis, sufficienter instructa appareret.

Matrimonii inconsummationem causasque ad dispensandum quod spectat, haec quae sequuntur ex actis processus colligi videntur.

Tum orator tum mulier conventa sub iurisiurandi vinculo asseverant matrimonium nunquam fuisse carnali copula consummatum, iidemque concordi testimonio inconsummationis motivum assignant in viri instante itinere in Americam post tres dies a celebratis nuptiis. Momentum huius circumstantiae pars conventa explicat dicendo: « Commercium coniugale inter nos locum non habuit, quia ille hoc noluit et differebat ad tempus quo ambo in America futuri eramus, innocentiam meam per medicos in America explorare intendebat, prout hoc dixit Sabinae Ontano ». (ad 2). Orator vero dicit: « Commercium coniugale inter nos locum non habuit eo quod statim in Americam proficisci debebam atque eo quod me talis commercii pudebat, non eam cognoscebam bene » (ad 4). Collusio partium exclusa in casu vel ex eo apparet, quod illae oppositos prosequuntur fines: orator vult liberari ab uxore adultera, uxor vero vult cohabitare cum marito.

Confessiones istas coniugum, tum quoad factum inconsum-

mationis matrimonii, tum quoad causam huius rei, confirmant depositionibus suis septem testes ab utraque parte inducti (1. Elisabeth W., 2. Iosephus Ku., 3. Alexander N., 4. Angela Ontano, 5. Genovefa Duonas, 6. Branislava Rugis et 7. Genovefa Lesz), qui tempore minime suspecto, quando de causa introducenda ne cogitabatur quidem, ab Aemilia Pala, parte conventa, didicerant quae deposuerunt. Porro isti omnes, ad normam laudatarum *Regularum* S. Congregationis de Sacramentis N. 60 § 2, habendi sunt quasi tests de scientia. Non est praetereundum quatuor ultimos testes optima habere documenta suae religionis et veracitatis.

Personam vero oratoris quod attinet, testes omnes qui eum cognoscunt optimas eius religioni et veracitati laudes tribuunt eumque vocant virum iustum, religiosum, optimis imbutum moribus, veracem, sincerum, sine ullo dolo; eum verum dicere etiam in rebus quae minime ei favent eique affirmanti se commercium coniugale cum uxore non habuisse prorsus credendum esse asserunt.

Quae omnia matrimonii inconsummationem extra omne dubium ponere videntur.

Altera vero ex parte, nulla adest spes reconciliandi deceptum coniugem oratorem cum uxore praevaricatrice eisque potius incontinentiae periculum imminere dicendum est.

Quod reliquum est, pastoralis officii mei esse dueo preces oratoris clementissimae benignitati Emimentiae Tuae commendare, ut infaustam hoc matrimonium Beatissimo Patri pro elargienda petita dispensatione praesentetur.

Interim sacram Purpuram reverenter deosculor.

Datum Undae, e Curia Dioecesana, die 25 martii 1924.

Eminentissimi ac Reverendissimi Domini

Addictissimus famulus

✠ *Ioannes Matala,* Episcopus Undanensis.

L. ✠ S.

Antonius Vidmont, pro Cancellario.

Em.mo ac Rev.mo Domino
Domino Cardinali Praefecto
S. Congregationis de disciplina
Sacramentorum — Romam.

INDEX

actorum et documentorum specimínis primi

NUM.		PAG.
a	Supplex libellus Ioannis Ontano, oratoris	119-120
b	Testimonium de matrimonio celebrato	120
c	Acta ad S. Congr. de Sacr. mitt. pro facultate conficiendi processum	121
1.	Litterae delegationis S. Congregat. de Sacrament. . .	121-122
2.	Nominatio Tribunalis subdelegati	122-123
3.	Ioannes Ontano, orator, citatur ad comparendum . .	123
4.	Iuramentum oratoris	123
5.	Interrogatoria pro examine iudiciail oratoris . . .	123-124
6.	Examen iudiciale oratoris	125
7.	Iuramentum oratoris	125
8.	Decretum pro citatione testium oratoris	125
9.	Defensor v. rogatur, ut conficiat interr. pro testibus . .	126
10.	Interrogatoria pro examine iudiciali testium . . .	126-127
11.	Iuramentum testium	127
12.	Examen iudiciale testium	127-129
13.	Iuramentum de veritate dictorum	130
14.	Notitiae de religione et veracitate testium colliguntur .	130
15.	Notitiae de religione et veracitate testium collectae . .	130
16.	Orator testes septimae manus indicat	130-131
17.	Interrogatoria pro exam. testium septimae manus . .	131
18.	Examen iudiciale testium sept. manus ex parte oratoris .	131-135
19.	Notitiae de religione et veracitate testium oratoris . .	135
20.	Examen reliquorum testium committitur parocho loci . .	135-136
21.	Iuramentum testium	136
22.	Examen iudiciale testium et notitiae de relig .et veracit. eorum	136-139
23.	Acta Iudici instr. remittantur	139
24.	Testimonium de relig. et veracit. oratoris	139

		PAG.
25.	Aemilia Pala, pars conventa, cit. ad comparendum . .	139
26.	Interrogatoria pro exam. iudic. partis conventae . .	140
27.	Examen iudiciale partis conventae	140-142
28.	Exquiruntur testes septimae manus a parte conventa . .	142
29.	Pars conventa indicat testes septimae manus . . .	142
30.	Decretum pro citatione testium	143
31.	Examen iudiciale testium e latere partis conventae . .	143-144
32.	Examen reliquorum testium committit. R. D. Sadus . .	144
33.	Examen iudiciale testium	145-147
34.	Opinio tribunalis substituti	147
35.	Acta remittuntur Iudici instructori	147
36.	Exquiritur votum defen. v. ante processus conclusionem .	147
37.	Votum defensoris vinculi	148
38.	Decretum conclusionis processus	148
39.	Exquiruntur animadversiones defen. v. eiusque votum .	148
40.	Animadversiones defen. v.	149-150
41.	Testificatio de authenticitate esemplaris actorum . .	150
42.	Votum Rev.mi Ordinarii	151-153

SPECIMEN SECUNDUM

ARGUMENTUM.

Sophia Caprini coram Iudicio Episcopali Undanensi actionem instituit in ordine ad obtinendam declarationem nullitatis matrimonii sui cum Michaele Voito ex capite impotentiae mariti. Actis iudicialibus publicatis, actrix rogat, ut processus suppleatur in ordine ad impetrandam dispensationem super matrimonio suo utpote rato et non consummato. Petita dispensatio concessa est die 2 iunii 1924, post examen causae in S. Congr. de disciplina Sacr. Num. Prot. 2638/24.

Dioecesis Undanensis
Dispensationis matrimonii Caprini-Voito
quod contenditur ratum et non consummatum.

Excelso Iudicio Episcopali Undanensi. 1. Supplex libellus Sophiae Voito, n. Caprini, actricis.
Sophiae Voito, natae Caprini, commorantis in urbe Gardas, via N. sub N. 3 h. 1.

Supplex libellus.

Die 22 octobris 1922 an. nupsi Michaeli Voito, medico veterinario. Matrimonium celebratum est in ecclesia in loco Inda. Vita mea coniugalis infausta fuit. Maritus meus inhabilis est ad actus coniugales. Excelsum Iudicium Episcopale rogo, ut matrimonium meum propter istam causam nullum declarare dignetur. Maritus meus habitat in urbe Gardas, via Bernardinorum N. 12. Metricen matrimonii hisce adiungo. Summa cum aestimatione permaneo.

Sophia Voito.

13. I. 1923.

2. Testimonium matrimonii.

Anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo secundo, mense octobri, die vigesimo secundo, sacerdos Ioannes K., parochus Indensis, post triplicem proclamationem bannorum diebus 15, 20 et 27 augusti a. c. in ecclesia parochiali Indensi, matrimonio legitime coniunxit et benedixit, consensu utriusque in matrimonium istud contrahendum signis exterioribus manifestato, Michaelem Voito, caelibem 34 annorum, ex urbe Gardas, parochianum Bernardinensem, et Sophiam Caprini, virginem 29 annos natam, e praedio Z., parochianam Indensem, filium Ioannis Voito et Annae de domo Kazy, legitimorum coniugum, et filiam Alexandri-Adami Caprini et Sabinae No., legitimorum coniugum, adstantibus testibus Casimiro R., Stephano Voito et multis aliis. — De congruentia istius transcripti cum libro motricali ecclesiae Indensis testor manu propria subscribendo et sigillum ecclesiasticum imprimendo.

Datum Indae, die 8 novembris 1922 an. N. 712.

L. ✠ S.

Ioannes K., Parochus Indensis.

Undae, die 17. I. 1922 *in N.* 118.

A. Reverendo Domino Adamo Savo,
Defensori vinculi.

3. Defensor vinculi rogatur, ut conficiat interrogatoria pro examine partium et peritorum nec non honestae matronae.

Iudicium Episcopale una cum hisce supplicem libellum Sophiae Voito Tibi, A. R. Domino, transmittit, ut interrogatoria pro examine iudiciali tam partium, quam peritorum (pro utraque parte) et honestae matronae, in causa nullitatis matrimonii inter Sophiam Caprini et Michaelem Voito, ex capite impotentiae ad actus coniugales viri conficias et huic Tribunali clausa et obsignata mittas ante diem 12 februarii proximi.

Praelatus Ioannes Ganas, Officialis.
Antonius Vidmont, notarius.

4. Citantur partes ad examen iud. subeundum.

Coniuges citati sunt ad comparendum per schedas citatorias prouti etiam in specimine primo.

Ad Illustrissimum ac Reverendissimum
Dominum Iudicii Episcopalis Officialem
Undae.

Accepto mandato conficiendi interrogatoria pro partibus, peritis, matrona honesta in causa coniugum Voito, interrogationes pro partibus conscripsi; quod vero attinet peritos peto ab Illustrissimo ac Reverendissimo Domino, ut facultas mihi detur conscribendi interrogatoria pro peritis post relationes ab ipsis traditas. 5. Votum defensoris vinculi.

Datum Undae, die 10. II. 1923, N. 84.

A. Savo, Vinc. Def.

Litterae quaestionum, 6. Interrogatoria pro examine iudiciali partium.

a Defensore vinculi conscriptae, pro examine iudiciali partium in causa assertae nullitatis matrimonii Caprini-Voito.

Quaestiones Generales.

1) Quomodo vocaris? 2) Quae tibi aetas, conditio vitae et religio? Ubinam habitas? 3) A quonam vocatus in Iudicium? 4) Memorne sis iuramenti et obligationis sincerae veritatis dicendae?

Quaestiones speciales.

1. Quandonam partes sese cognoverint.

2. An de parentum consensu, libenter matrimonium inierint; an simul cohabitaverint, an cubaverint simul; an officiis coniugalibus libenter operam dederint, an matrimonium consummaverint.

3. An pars cognoscat vel saltem suspicetur causas, propter quas matrimonium manserit inconsummatum; an causa ista vel vitium physicum sit ex parte uxoris aut mariti.

4. An adhibuerit medicamenta, quae, quanto tempore; an fuerint adhibita alia media, quo effectu, quo medico usa fuerit.

5. Quanto tempore coniuges simul cohabitaverint et quanto tempore officiis coniugalibus operam dederint.

6. Quis primus vitam communem deseruerit; quaenam causae separationem produxerint.

7. An pars parentibus, consanguineis vel notis de matrimonii inconsummatione locuta sit.

8. Quid addere velit.

A. Savo, Vinc. Def.

7. Examen iudiciale actricis et rei conventi.

Anno 1923, die februarii 21, Iudicium Episcopale Undanense, praesentibus Praelato Ioanne Ganas, Officiali, canonico Ioanne Buono et Antonio Tranquillino, iudicibus prosynodalibus, Adamo Savo defensore vinculi, nec non Antonio Vidmont, notario, in causa nullitatis matrimonii inter Michaelem Voito et Sophiam Caprini, examini iudiciali subiecit sequentes personas, quae, iuramento, Evangelia tangendo, prouti de iure, praestito, deposuerunt prout sequitur.

Vocor Sophia Voito, de domo Caprini, nobilis, 29 annos nata, parentes adiuvo in re domestica gerenda, catholica sum, habito in praedio Z., sub parochia Indensi, memor praestiti iuramenti in causa depono.

1. Maritum meum Michaelem Voito mense maio 1922 an. cognovi, matrimonium vero mense octobri eiusdem anni cum eo contraxi.

2. Matrimonium contraxi de consensu familiae, parentibus iam eram orbata. Matrimonium inii libere, sed non libenter, quia ille mihi non placebat. Post matrimonium celebratum simul cum marito cohabitavimus per duos menses cum dimidio. Suum quisque cubiculum habuimus, quae cubicula contigua fuerunt. Cubavimus simul non per totam noctem et non semper. Officiis coniugalibus operam dedi non libenter, quia maritum non amabam, et matrimonium mansit inconsummatum.

3. Matrimonium mansit inconsummatum non mea, sed mariti causa, quia qua uxor non me defendebam. Maritus actum coniugalem perficere non valuit, quia eius organum virile non egit.

4. Nescio, utrum maritus meus valetudini reparandae aliquam opem adhibuerit.

5. Spatio sex hebdomadarum conatus ad actus coniugales perficiendos 21 vicibus circiter adhibiti fuerunt.

6. Ego prima vitam coniugalem communem deserui propter impotentiam mariti ad actus coniugales.

7. De matrimonii inconsummatione 12 diebus a nuptiarum celebratione elapsis locuta sum sorori meae Reginae K., fratri meo Ioanni Caprini, amitae Antoninae Caprini et Iosepho K., qui in praedio Z. degunt, et sorori meae Vandae M., quae in urbe G., via Nummaria N. 3, commoratur.

8. Matrimonium meum non esse consummatum probare intendo per experimentum medicale. Depositio haec mihi est perlecta eamque iuramento et subscriptione confirmo.

Sophia Voito.

Vocor Michael Voito, 34 annos natus, catholicus, medicus veterinarius sum, dego in urbe G., via Bernardinorum N. 12, memor praestiti iuramenti in causa depono.

1. Sophiam Caprini cognovi mense maio 1922 an; matrimonium cum ea contraxi octobri eiusdem anni.

2. Matrimonium istud contraxi de matris scitu; nemo me ad id cogebat. Incipiendo a tertia die post matrimonium celebratum simul cubavimus. Uterque nostrum suum habuit cubiculum, quae tamen cubicula contigua erant. Simul cum uxore continuo non condormiebamus, sed torum aliquando nobiscum communicabamus. Officiis coniugalibus operam dabamus, sed matrimonium nostrum mansit inconsummatum. Commercium coniugale nostrum nonnisi actuum sexualium conatus erant.

3. Quando prima vice commercium coniugale eram peracturus, uxor me rogavit, ut id apparatu adhibito vel alio modo perficerem, ne statim foecunda evaderet. Quae res ita me affecit, ut actus sexualis ad effectum tunc non fuerit perductus; hoc autem vim suam malam pro utraque parte habuit etiam quoad ulteriores conatus perficiendi actus coniugales.

4. Nulla adhibui medicamenta, quia valeo et conscius sum habilitatis meae ad actus coniugales.

5. Cohabitavimus simul per tres menses. Conatus consummandi matrimonium durarunt usque ad diem 25 decembris 1922.

6. Uxor prima vitam coniugalem communem abrupit. Illa ideo hoc fecit, quod copulae coniugales locum non habuerunt.

7. Ego nemini dixi matrimonium mansisse inconsummatum.

8. Nihil habeo addendum, perlectam vero depositionem subscriptione confirmo.

Michael Voito.

Praelatus Ioannes Ganas, Officialis.
Sacer. Ioannes Buono, Iudex Prosynodalis.
Sac. Antonius Tranquillino, Iudex Prosyn.
A. Savo, Vinc. Def.
Sac. A. Vidmont, Notarius.

8. Medicus Vladislaus Buconis rogatur ut inspectionem corporis Sophiae Voito peragat.

Undae, die 17. I 1923 *an. N.* 121.

Domino Medico Vladislao Buconis
Undae, via Torta N. 5.

Iudicium Episcopale Undanense praesentibus Dominum Medicum Buconis rogat, ut inspectionem corporis Sophiae Voito in ordine ad stabiliendam veritatem de eius habilitate ad actus coniugales perficiat et an hucusque virgo permaneat. Domina Adela Samonis rogata est, ut inspectioni isti qua honesta matrona assistat. Praefata Sophia Voito eum in finem citata est ad comparendum die 22 februarii a. c. hora 2 post meridiem in Instituto Gynaecologico, in urbe Unda, via Pura N. 3. Praeterea Iudicium Episcopale Dominum Medicum rogat, ut relationem de inspectione peracta ante diem 26 februarii a. c. huic Tribunali mittat et die 28 eiusdem februarii hora 11 in Iudicio personaliter se sistat in ista causa depositurus.

Praelatus Ioannes Ganas, Officialis.
Sac. Antonius Vidmont, Notarius.

9. Medicus Antonius Cerato rogatur, ut inspectionem corporis Sophiae Voito peragat.

Undae, die 17. I. 1923 *an. N.* 122.

Domino Medico Antonio Cerato
Undae, via Portus N. 6.

Iudicium Episcopale Undanense etc. uti supra.

Undae, die 17. I. 1923 *an. N.* 123.

Dominae Adelae Samonis.

Undae, via Pura N. 3.

10. Adeles Samonis honesta matrona hominatur.

Iudicium Episcopale Undanense per praesentes Dominam Adelem Samonis rogat, ut inspectioni corporis Sophiae Voito, quam die 22 februarii a. c. hora 2 post meridiem in Instituto Gynaecologico, in urbe Unda, via Pura N. 3, medici Vladislaus Buconis et Antonius Cerato peracturi sunt, qua honesta matrona assistat et die 28 eiusdem februarii hora 11 in Iudicio personaliter se sistat in eadem causa depositura.

Praelatus Ioannes Ganas, Officialis.
Sac. Antonius Vidmont, Notarius.

Iudicio Episcopali Undanensi.

11. Relatio medici Vladislai Buconis.

Vigore mandati Iudicii Episcopalis Undanensis in ordine ad explorandam Dominam Sophiam Voito, nempe, an sit habilis ad vitam coniugalem et an hucusque in statu virginali permaneat, die 22 februarii 1923 an. inspectionem eiusdem corporalem aggressus sum. Inspectionem peregi in urbe Unda, in hospitali S. Iacobi, in aula operationum chirurgicarum hora 2 postmeridiana, splendente luce diurna, praesente obstetrice Adela Samonis qua honesta matrona. Interrogando Sophiam Voito, eam comperi 29 annos natam, menstruare regulariter, singulis mensibus per 4 vel 5 dies. In inspectione externa inveni mammas recta ratione evolutas, capillationem montis Veneris normalem. Labia maiora et minora pudenda et clitoris pariter recta ratione evoluta sunt. Explorando membranam virginalem, eam inveni esse integram, cicatrices et lacerationes nullae sunt. Vagina digitum integrum intromitti non sinit, quia hymen vix extremo indici transitum dat. Quibus omnibus innixus concludo Sophiam Voito ad vitam coniugalem esse habilem, sed actus coniugales formales cum marito non habuisse ideoque virginem manere intactam. Datum est in urbe Unda, die 24 februarii 1923 an.

Vladislaus Buconis, Dr. in Medicina.

Iudicio Episcopali Undanensi.

12. Relatio medici Antonii Cerato.

Ex mandato Iudicii Episcopalis Undanensis de exploranda habilitate Sophiae Voito ad vitam coniugalem, die 22 februarii 1923 an., praesente obstetrice Adela Samonis, in Undanensi hospitali S. Iacobi, in aula operationum chirurgicarum hora 2 postmeridiana inspectionem corporis praefatae Dominae Voito peregi.

Explorando inveni quae sequuntur:

Interrogando eam comperi Dominam Voito 29 annos esse natam, menstruare regulariter singulis mensibus 4 vel 5 dies.

In inspectione externa inveni: mammas omnino regulariter evolutas, capillationem montis Veneris regularem. Labia maiora et minora et clitoris pariter recta ratione evoluta sunt. Hymenem explorando, inveni eum prorsus integrum. Hymen est fimbriatus. margines eius nullibi sunt laceratae cicatrices nullas inveni. In vaginam digitum introducere non potui, vix extrema pars digiti penetrare potest.

Iis quae supra dixi innixus affirmo: Domina Sophia Voito est habilis ad vitam coniugalem, hucusque tamen commercium coniugalem cum marito non habuit adeoque virgo est intacta. Undae, die 25 februarii 1923 an.

Dr. A. Cerato.

Litterae quaestionum

13. Interrogatoria pro examine iudiciali peritorum.

a Defensore vinculi conscriptae pro examine iudiciali peritorum in causa assertae nullitatis matrimonii coniugum Voito.

Quaestiones generales.

1) Quomodo vocaris? 2) Quae tibi aetas, conditio vitae et religio? Ubinam habitas? 3) A quonam vocatus in Iudicium? 4) Memorne sis iuramenti et obligationis sincerae veritatis dicendae?

Quaestiones speciales.

1. Quandonam et quomodo peritus Sophiam Voito cognoverit.
2. Ubinam et quando inspectio peracta fuerit.
3. An peritus inspectionem corporalem peregerit diligenter

et attendendo ad singula notabilia; an conditiones externae siverint inspectionem bene peragere.

4. An peritus animadverterit in inspecta aliquid, quod eam potius non esse quam esse virginem indicaret.

5. An organa sexualia speciem virgineam praeseferant; an hymen sit integer; quae eius crassitudo; an sit mollis, flexibilis, extensibilis; quam grande sit hymenis foramen; an foramen tale sit, ut sine laesione hymenis augeri possit. Quae sit sententia periti quoad hoc, an Sophia Voito potuerit habere commercium coniugale perfectum.

7. Quid addere velit.

A. Savo, Vinc. Def.

14. Examen iudiciale medici Vladislai Buconis.

Anno 1923, die 28 februarii, Iudicium Episcopale Undanense, praesentibus Praelato Ioanne Ganas, Officiali, Canonico Ioanne Buono et Antonio Tranquillino, iudicibus prosynodalibus, Adamo Savo, vinculi defensore et Antonio Vidmont, notario, in causa nullitatis matrimonii inter Michaelem Voito et Sophiam Caprini, examini iudiciali sequentes subiecit personas, quae post praestitum, Evangelia tangendo, praescriptum iuramentum, deposuerunt prout sequitur.

Vocor Vladislaus Buconis, sum doctor in medicina, peculiariter artem obstetriciam et gynaecologicam exerceo, fidem profiteor catholicam, dego in urbe Unda, via Torta N. 5, memor praestiti iuramenti in causa depono.

1. Sophiam Voito cognovi die corporalis eius inspectionis quo sacerdos Antonius Vidmont, notarius Iudicii Episcopalis eam mihi praesentavit.

2. Inspectio peracta est in hospitali s. Iacobi, hora 2 pomeridiana diei 22 februarii a. c.

3. Inspectionem peregi attendendo ad singulas res in conditionibus huic rei aptis in aula praefati hospitalis.

4. Nihil animadverti quod inspectam non esse virginem ostenderet.

5. Genitalia inspectae speciem praeseferunt virgineam. Hymen est integer sine cicatricibus et lacerationibus. Hymen est tenuis, flexibilis et extensibilis. Foramen hymenis est parvum, vix

extremae indicis parti transitum dat et sine laesione hymenis verisimiliter dilatari non posset.

6. Omnia ostendunt dominam Voito commercium coniugale perfectum non habuisse. Omnino mihi persuasum est Sophiam Voito virginem esse intactam.

7. Nihil mihi addendum occurrit, perlectam vero mihi depositionem subscriptione confirmo.

Vladislaus Buconis, Dr. med.

15. Examen iudiciale medici Antonii Cerato.

Vocor Antonius Cerato, medicus obstetricio-gynaecologicus, 54 annos sum natus, dego Undae, via Portus N. 6, memor praestiti iuramenti quoad causam depono.

1. Sophiam Voito cognovi die 22 februarii a. c. occasione suae inspectionis corporalis, quam ex mandato Iudicii Episcopalis perègi.

2. Inspectio peracta est in aula operationum sectionis gynaecologicae Undanensis hospitalis s. Iacobi.

3. Inspectionem corporis Sophiae Voito peregi attendendo ad singulas res et quidem in conditionibus aptis.

4. In inspectione nihil animadverti quod Sophiam Voito potius non esse quam esse virginem proderet.

5. Organa sexualia inspectae nulla peracti partus produnt vestigia. Eius hymen est integer, cicatrices et laesiones desunt. Hymen crassitudinis est normalis, estque mollis, flexibilis e extensibilis. Foramen hymenis vix extremae indicis parti dat transitum. Foramen sine laesione hymenis augeri nequit.

6. Sophia Voito copulam coniugalem perfectam non habuit, unde est virgo intacta. Affirmo hoc pro certissimo.

7. Nihil habeo addendum, perlectam vero mihi depositionem subscriptione confirmo.

Dr. Antonius Cerato.

Praelatus Ioannes Ganas, Officialis.
Sac. Ioannes Buono, Iudex Prosynodalis.
Sac. Antonius Tranquillino, Iudex Prosyn.
Sac. A. Savo, Vinc. Def.
Sac. A. Vidmont, Notarius.

Litterae quaestionum

16. Interrogatoria pro examine iud. honestae matronae.

a Defensore vinculi conscriptae pro examine iudiciali matronae hon. in causa assertae nullitatis matrimonii coniugum Voito.

Quaestiones generales.

1) Quomodo vocaris etc uti supra pro peritis.

Quaestiones speciales.

1. Quandonam et quomodo Sophiam Voito cognoverit.

2. Quandonam et ubi peracta fuerit inspectio et quis eam peregerit.

3. An fuerint adhibita aliqua media ante inspectionem.

4. An Sophia Voito ininterrupte manserit in conclavi inspectionis; an nemo, praeter peritos, in istud conclave venerit.

5. An conclave, in quo inspectio peracta est, satis luminosum fuerit et suo quidem scopo accommodatum.

6. An inspectionem peragi viderit; an periti seorsim inspectionem peregerint, non secum antea consilia conferendo.

7. An in inspectione fuerint servatae regulae christianae modestiae.

8. Quid addere velit.

A. Savo, Vinc. Def.

17. Examen iudiciale honestae matronae.

Coram eodem Iudicio quod supra eodem die interest honesta matrona Adela Samonis.

Vocor Adela Samonis, auxiliatrix medicalis, 38 annos nata, catholicam profiteor fidem, dego Undae, via Magni Passus N. 31, memor praestiti iuramenti quoad causam depono.

1. Sophiam Voito cognovi solummodo occasione corporalis eius inspectionis die 22 februarii a. c.

2. Inspectio locum habuit in Undanensi hospitali S. Iacobi, eamque perègerunt Dr. Buconis et Dr. Cerato.

3. Ante inspectionem nulla sunt adhibita media relate ad Sophiam Voito.

4. Sophia Voito toto tempore inspectionis mansit in conclavi inspectionis.

5. Conclave erat luminosum et istiusmodi actionibus accommodatum.

6. Vidi inspectionem peragi. Uterque peritus inspectionem peregit seorsim, et non secum consilia antea conferendo.

7. Regulae modestiae christianae fuerunt servatae.

8. Nihil habeo addendum, perlectam vero mihi depositionem subscriptione confirmo.

Adela Samonis.

Praelatus Ioannes Ganas, Officialis.
Sac. I. Buono, Iudex Prosynodalis.
Sac. A. Tranquillino, Iudex Prosynodalis.
Sac. A. Savo, Vinc. Def.
Sac. Antonius Vidmont, Notarius.

18. Medicus Vladislaus Galinis rogatur, ut inspectionem corporis Michaelis Voito peragat.

INSPECTIO CORPORIS PARTIS CONVENTAE.

Undae, die 17. 1. 1928 *an. N.* 120
Domino Medico Vladislao Galinis,
Undae, via Longa N. 6.

Iudicium Episcopale Undanense praesentibus Dominum Medicum Vladislaum Galinis rogat, ut inspectionem corporis domini Michaelis Voito in ordine ad stabiliendam veritatem de eius habilitate ad actus coniugales peragat. Praefatus Michael Voito ab Iudicio hunc in finem citatus est ad comparendum hora 10,30 diei 22 februarii a. c. in hospitali « Savo ». Praeterea idem Iudicium rogat Dominum Medicum, ut relationem de inspectione peracta huic Tribunali mittat ante diem 26 februarii et die 28 eiusdem februarii hora 12,30 in Iudicio personaliter es sistat in eadem causa depositurus.

Praelatus Ioannes Ganas, Officialis.
Sac. Antonius Vidmont, Notarius.

19. Medicus Vitalis Valdo rogatur, ut inspectionem corporis Michaelis Voito peragat.

Undae, die 17. I. 1923 *an. N.* 119.
Domino Medico Vitali Valdo
Undae, via Longa N. 22.

Iudicium Episcopale Undanense etc. ut pro medico Galinis.

Iudicio Episcopali Undanensi.

20. Relatio Vladislai Galinis, periti.

Ex mandato Iudicii Episcopalis Undanensis diei 17 ianuarii a. c. die 22 februarii a. c. peregi inspectionem medicalem Michaelis Voito, 34 annos nati, in ordine ad stabiliendam veritatem de eius habilitate ad actus coniugales invenique prout sequitur: Michael Voito dicit se esse habilem ad actus coniugales idque se expertum scire ex eo quod adhuc coelebs pluries commercium sexuale cum mulieribus habuerit; relate vero ad uxorem suam, cuius indoles vehemens eum redderet depressum, ille esst inhabilis ad actus coniugales. In inspectione vero Michael Voito apparuit: habens corporis structuram fortem, bene nutritus, temperaturam et pulsum habens normalem. In organis internis signa morbosa nulla apparent, organa sexualia — penis, testiculi, reflexus musculi Cremaster, sunt regularia, in organis sexualibus nullae immutationes morbosae inveniuntur. Iis quae exposui innixus concludo Michaelem Voito ad actus coniugales esse habilem, sed relate ad uxorem suam, cuius affectus eum reddant depressum, ad tempus esse inhabilem.

Undae, die 26 februarii 1923.

Dr. V. Galinis.

Iudicio Episcopali Undanensi.

21. Relatio Vitalis Valdo, periti.

Iuxta mandatum diei 17 ianuarii a. c. N. 119 notifico me die 22 februarii a. c. inspectionem corporis Michaelis Voito peregisse et invenisse quae sequuntur: organa eius sexualia sunt normalia, bene evoluta, reflexus musculi Cremaster sunt servati, testiculi sunt grandes, aliquantulum tumidi, penis elasticus, sine ullis immutationibus conspicuis. In genere eius valetudo est prospera. Quibus omnibus innixus concludo dominum Michaelem Voito ad actus coniugales esse habilem.

Undae, die 23 februarii 1923 an.

Dr. Valdo.

22. Interrogatoria pro examine iudiciali peritorum e latere partis conventae.

LITTERAE QUAESTIONUM

a Defensore vinculi conscriptae pro examine iudiciali peritorum in causa assertae nullitatis matrimonii coniugum Voito.

Quaestiones generales.

1) Quomodo vocaris etc.

Quaestiones speciales.

1. Quandonam et quomodo peritus cognoverit Michaelem Voito.

2. Ubinam et quando inspectio locum habuerit.

3. An inspectio peracta sit diligenter et attendendo ad singulas res; an conditiones externae siverint inspectionem bene peragere.

4. An peritus omnia invenerit indicia quae sinant affirmare pro certo dominum Voito ad actus coniugales esse omnino habilem.

5. Quae sit periti sententia quoad habilitatem Michaelis Voito ad actus coniugales.

6. Quid peritus sentiat, an sit possibile, ut dominus Voito, qui matrimonium ex amore iniit, relate ad uxorem omnino normaliter constructam sit impotens per longius tempus inde a nuptiis celebratis.

7. Quid addere velit.

A. Savo, Vinc. Def.

23. Examen iudiciale Vladislai Galinis, periti.

Anno 1923, die 28 februarii, Iudicium Episcopale Undanense, praesentibus Praelato Ioanne Ganas, Officiali; Canonico Ioanne Buono et Antonio Tranquillino, Iudicibus Prosynodalibus; Adamo Savo, Defensore Vinculi et Antonio Vidmont, Notario, examini iudiciali in eadem causa qua peritos subiecit has personas, quae, praestito iure praescripto iuramento, deposuerunt prout sequitur.

Vocor Vladislaus Galinis, medicus sum venerologus, 62 annos natus, fidem profiteor catholicam, dego Undae, via Longa N. 8, memor praestiti iuramenti in causa depono.

1. Michaelem Voito cognovi occasione suae corporalis inspectionis in hospitali « Savo ».

2. Ispectio peracta est Undae in praefato hospitali hora 11 diei 22 februarii a. c.

3. Inspectionem peregi attendendo ad singulas res, diligenter et in conditionibus convenientibus.

4. Non datur certitudo Michaelem Voito ad actus coniugales esse habilem, sed magna est probabilitas.

5. Indiciis in inspectione collectis innixus persuasum mihi habeo Michaelem Voito ad actus coniugales verisimiliter esse habilem: eius organismus est sanus, aetas non provecta, organa sexualia regulariter evoluta, in organis nulla impraesentiarum sunt indicia morbosa neque adsunt vestigia quod aliquando fuerint; reflexus nervosi sunt regulares.

6. Hoc est possible et successu temporis evolvi potest ad gradum superiorem propter spem deceptam quoad indolem uxoris.

7. Nihil habeo addendum, perlectam vero mihi depositionem subscriptione confirmo.

Dr. Vladislaus Galinis.

24. Examen iudiciale Vitalis Valdo, periti.

Vocor Vitalis Valdo, medicus sum, morbis venereis curandis peculiarem operam do, 34 annos sum natus, fidem profiteor catholicam, dego in urbe Unda, via Longa N. 22, memor praestiti iuramenti in causa depono.

1. Michaelem Voito cognovi quando venit ad me inspectionem corporalem subiturus mihique a R. D. Vidmont, notario Iudicii Episcopalis, praesentatus est.

2. Inspectio peracta est in hospitali « Savo », sito in urbe Unda, ad plateam Turris.

3. Inspectionem peregi diligenter, attendendo ad singula, et in conditionibus convenientibus, in aula bene luminosa.

4. Iis quae in inspectione comperi innixus persuasum mihi habeo Michaelem Voito ad actus coniugales esse habilem.

5. Sententia mea nititur iis quae sequuntur: reflexus organorum sexualium manent, testiculi sunt normales, aliquantulum tumidi, penis sine immutationibus patalogicis, status valetudinis eius in genere est bonus, aetas florens.

6. Si Michael Voito matrimonium iniit ex amore, ad actus coniugales cum uxore perficiendos habilis erat.

7. Addo Michaelem Voito in inspectione mihi declarasse prout sequitur: quando ille prima vice post nuptias sese ad uxorem coitum peracturus applicabat, modus agendi uxoris talis erat, ut ille non ex sua culpa actum coniugalem perficere non potuerit. Quando secunda vice ille sese ad uxorem applicabat, irridens modus agendi uxoris ita eum affecit, ut ad actum coniugalem perficiendum impotens redderetur. Phaenomen hoc notum est in litteratura medicali. Depositionem hanc mihi perlectam subscriptione confirmo.

Vitalis Valdo, ordinator hospitalis « Savo ».
Praelatus Ioannes Ganas, Officialis.
Sac. I. Buono, Iudex Prosynodalis.
Sac. A. Tranquillino, Iudex Prosynodalis.
Sac. A. Savo, Vinc. Def.
Sac. Antonius Vidmont, Notarius.

25. Exquiritur votum defensoris v. quoad procedendum ad ulteriora.

Mittantur acta defensori vinculi ad exquirendum votum suum in ista causa. Undae, die 28 februarii 1923 an.

Praelatus Ioannes Ganas, Officialis.
Sac. I. Buono, Iudex Prosynodalis.
Sac. A. Tranquillino, Iudex Prosynodalis.
Sac. Antonius Vidmont, Notarius.

Undae, die 3. III. 1923 *an. N.* 539

A. R. Domino Adamo Savo, Defensori vinculi.

Iudicium Episcopale una cum hisce acta iudicialia in causa nullitatis matrimonii Caprini-Voito Tibi, A. R. Domine, transmittit ut votum Tuum in ista causa des et acta huic Tribunali remittas ante diem 10 martii currentis.

Praelatus Ioannes Ganas, Officialis.
Sac. Antonius Vidmont, Notarius.

Ill.mo ac Rev.mo Tribunali Episcopali Undanensi. 26. Votum defensoris vinculi.

Quoniam tum ex confessione ipsius Michaelis Voito, tum ex inspectione eius corporali apparuit eum omnino esse ad actus coniugales potentem, mea ex parte declaro mihi in causa matrimonii Caprini-Voito nihil inquirendum vel deducendum superesse. Undae, die 12. III. 1923 an. N. 94.

A. Savo, Vinc. Def.

Anno 1923, die 12 martii, Iudicium Episcopale Undanense, praesentibus Praelato Ioanne Ganas, Officiali; Canonico Ioanne Buono et Antonio Tranquillino, Iudicibus Prosynodalibus; et Antonio Vidmont, Notario, acta iudicialia in causa nullitatis matrimonii Caprini-Voito statuit aperire et pro publicatis habere prouti de iure. 27. Decretum pro pubblicatione actorum.

Praelatus Ioannes Ganas, Officialis.
Sac. I. Buono, Iudex Prosynodalis.
Sac. A. Tranquillino, Iudex Prosynodalis.
Sac. A. Savo, Vinc. Def.
Sac. Antonius Vidmont, Notarius.

Undae, die 15. III. 1923 *an. N.* 642. 28. Notificatio publicationis actorum actrici.
Dominae Sophiae Voito.
in urbe G.

Iudicium Episcopale Undanense praesentibus Dominam Sophiam Voito certiorem facit acta iudicialia in causa nullitatis eius matrimonii cum Michaele Voito penes cancellariam Iudicii inspicienda prostare usque ad diem 19 aprilis a. c.

Praelatus Ioannes Ganas, Officialis.
Sac. Antonius Vidmont, Notarius.

Undae, die 15. III. 1923 *an. N.* 641. 29. Notificatio pubblicationis actorum reo convento.
Domino Michaeli Voito
in urbe G.

Iudicium Episcopale Undanense etc. uti supra pro actrice.

30. Actrix rogat, ut processus compleatur in ordine ad implorandam dispensationem super matrimonio utpote rato.

Excelso Iudicio Episcopali Undanensi.

Sophiae Voito, commorantis in praedio Z. sub paroecia Indensi,

Supplex libellus.

Perlectis actis meae causae, Excelsum Iudicium Episcopale rogo, ut personas, quas in depositione mea indicavi, examini iudiciali, qua testes septimae manus, subiiciat. Ad evitandas nimias expensas rogo, ut examen istud peragatur in urbe Gardas. Praeterea significandum puto me aversionem erga maritum meum habere physicam, neque credo fore, ut tandem aliquando me ad consortium coniugale instaurandum cum eo cogere valeam. Rogo, ut acta meae causae transmittantur ad Beatissimum Patrem in ordine ad implorandam dispensationem super matrimonio meo cum Michaele Voito utpote non consummato.

Undae, die 13. IV. 1923.

Sophia Voito.

Decretum Iudicis.

31. Defensor v. rogatur, ut interrog. pro testibus septimae manus conficiat.

Rogetur Defensor vinculi, ut interrogatoria pro testibus septimae manus conficiat ad diem 30 aprilis 1923.

Praelatus Ioannes Ganas, Officialis.

Undae, die 18. IV. 1923 *an. N.* 829.

A. R. Domino Adamo Savo, Defensori vinculi.

Iudicium Episcopale una cum hisce acta iudicialia in causa assertae nullitatis matrimonii Caprini-Voito Tibi, A. R. Domine, transmittit, ut interrogatoria pro examine iudiciali testium septi-

---

(1) Iuxta S. C. de Sacr. *Regulas* n. 4 huiusmodi supplex libellus porrigi debet Romano Pontifici inscriptus.

mae manus conficias et huic Tribunali mittas ante diem 30 aprilis currentis.

Praelatus Ioannes Ganas, Officialis.
Sac. Antonius Vidmont, Notarius.

Undae, die 9 *maii* 1923 *an. N.* 1040.

Admodum Reverendo Domino Leoni Narys, Decano Gardensi.

32. Examen iudiciale testium septimae manus Decano Gardensi committitur.

Iudicium Episcopale una cum hisce supplicem libellum Sophiae Voito Tibi, A. R. Domine, transmittit, ut, una cum R. D. Antonio Galis qua Defensore vinculi et R. D. Georgio Pobutis qua Notario, iuxta litteras quaestionum N. 106 hisce subiunctas, testes in supplici libello actricis enumeratos et testes a Michaele Voito inducendos (quod si ille facere recusaverit, ex officio inducendos) examini iudiciali subiicias et acta huic Tribunali mittas.

Praelatus Ioannes Ganas, Officialis.
Antonius Vidmont, Notarius.

Litterae quaestionum

33. Interrogatoria pro examine iudiciali testium.

a Defensore vinculi conscriptae pro examine iudiciali testium sept. manus in causa assertae nullitatis matrimonii Caprini-Voito.

Quaestiones generales.

1) Quomodo vocaris etc.

Quaestiones speciales.

1. An testis noverit cuius rei causa vocatus sit in Iudicium; a quonam id resciverit.

2. An bene et undenam cognoscat coniuges Michaelem et Sophiam Voito; an sint religiosi, quibusnam moribus utantur.

3. An concors sit vel fuerit coniugum convictus; sin minus cur; unde et ex quo tempore testis id noverit; an impraesentiarum cohabitent simul vel a quonam tempore simul non cohabitent; quae causa separationis fuerit, quomodo separatio evenerit; qua occasione id resciverit.

4. An coniugibus Voito fuerit progenies; cur non; an testis

noverit quod coniuges Voito matrimonium suum pro invalido habere velint; cur illi ita sentiant; qua occasione et ex quo tempore testis id resciverit; an testis aliquid noverit vel secus de consummatione vel inconsummatione matrimonii coniugum Voito, quid nempe, a quonam et quando id resciverit.

5. An coniuges Voito sint fide digni; an possit eis credi quando ipsi affirmant eorum matrimonium manere inconsummatum conatibus consummandi non obstantibus; cur testis ita sentiat.

6. Quid testis addere velit.

Undae, die 28. IV. 1928 *N.* 106.

A. Savo, Vinc. Def.

34. Protocollon Tribunalis constituti.

Sessio I.

Anno 1923, die 3 iulii, perlecto mandato Ill.mi Iudicii Episcopalis de die 6. V. 1923, N. 1040. munus sibi demandatum personae delegatae suscipiunt ac, praestito iuramento ut infra. ad executionem mandati accedunt.

Leo Narys, Iudex auditor.
Antonius Galis, Def. v. matr. delegat.
L. Savinis, Notarius.

35. Iuramentum Iudicis auditoris.

Formula iuramenti.

Ego Leo Narys, etc.

36. Iuramentum defensoris vinc.

Formula iuramenti

Ego Antonius Galis, etc.

37. Iuramentum notarii.

Formula iuramenti

Ego Ludovicus Savinis, etc.

38. Iuramentum testium.

Formula iuramenti.

Ego N. iuro etc.

Sic iurarunt Die 13. VII. 1923.

(—) Helena A.; (—) I. M.; (—) Antonina K.; (—) Regina K.; (—) Vanda M; Aemilia K. scribendi nescia (—) +++; (—) Hedviges B.; (—) Petrus P.; (—) F. P.

Iuramentum excepit (—) *L. Savinis,* notarius.

39. Examen iudiciale testium.

Anno 1923, die 13 iulii nos infrascripti Leo Narys, iudex auditor; Antonius Galis, defensor vinculi delegatus et Ludovicus Savinis, notarius, in aedibus parochi Gardensis sistentes ac vi mandati Iudicii Episcopalis de die 9 maii 1923 an. N. 1040 agentes, depositiones testium septimae manus iuratorum ut supra iuxta schedam quaestionum causae adnexam excepimus, qui deposuerunt ut sequitur.

Ad generalia:

1) Vocor Helena Ar.; 2) 55 annos nata, uxor dimissi ex exercitu coloneli, catholica, dego in Gardas; 3) vocata sum a Sophia Voito; 4) iuramenti memini; 5) sum amita Sophiae Voito.

Ad specialia:

1. Novi me esse vocatam in causa divortii Sophiae Voito; id scio ab ea ipsa.

2. Sophiam Voito, natam Caprini uti filiam mei fratris, cognosco a teneris annis, Michaelem Voito cognosco a tempore quo Sophiam nuptiis ambire caepit. Ambo sunt religiosi et bonis utuntur moribus.

3. Cum convictus coniugalis brevis fuerit, nohil exterius animadvertere licuit, solummodo Sophiam vidi irritatam ab eaque rescivi huius rei causam, scilicet suum maritum inhabilem esse ad copulam carnalem. Rescivi id uno mense elapso ab eorum nuptiis celebratis. A tempore quo actio divortii intentata est coniuges non amplius simul cohabitant propter supra allatam causam, quod rescivi ob ipsa Sophia.

4. Coniugibus Voito progenies deerat, quia breviter simul cohabitarunt et, in quantum scio a Sophia, propter impotentiam mariti. Scio Sophiam matrimonium suum habere pro invalido propter impotentiam mariti ad actus coniugales: cum Michaele

vero de re ista non sum locuta, quia occasionem non habui. De matrimonii inconsummatione rescivi ex ore ipsius Sophiae et suae sororis Vandae M.

5. Omnino sum convicta Sophiam et Michaelem Voito esse fide dignos et Sophiae affirmanti matrimonium suum non esse consummatum prorsus credi potest.

6. Possum addere, quod audivi a Sophia Voito, quod Michael Voito ei dixisset non fore, ut impotentiam suam confiteatur prae timore difficultatum in ordine ad matrimonium contrahendum cum alia persona. Depositionem mihi alta voce perlectam qua meam agnosco et subscribo.

Helena Ar.

Leo Narys, iudex.
Antonius Galis, defensor.
Ludovicus Savinis, Notarius.

Interest Eugenia Ar.

Ad generalia:

1) Vocor Eugenia Ar.; 2) 22 annos nata, pharmacologa, catholica, dego in urbe Garda, via Nigra N. 11; 3) Vocata sum a Sophia Voito; 4) iuramenti memini; 5) Sophia est filia sororis meae matris.

Ad specialia:

1. Scio me vocatam esse in causa nullitatis declarandae matrimonii inter Sophiam et Michaelem Voito; id scio ab ipsa Sophia Voito.

2. Sophiam cognosco a teneris annis. Michaelem vero cognovi uno abhinc anno.

3. Convictus Sophiae cum Michaele Voito concors non erat, odium enim sentire caepit ex quo huius impotentiam ad copulam coniugalem animadvertit. Id rescivi ab ipsa Sophia post aliquot hebdomadas a nuptiis celebratis. Impraesentiarum coniuges habitant separatim, discesserunt vero inter se tribus circiter mensibus elapsis post matrimonium celebratum; causa separationis fuit impotentia Michaelis ad copulam coniugalem, quae Sophiam fastidio afficiebat.

4. Coniugibus Voito progenies non erat propter causam supra allatam. Scio a Sophia eam matrimonium suum cum Michaele habere pro invalido ob huius impotentiam sexualem. Cum Michaele vero de ista re sermonem non habui. Audivi a familia mea et ab ipsa Sophia de inconsummatione matrimonii coniugum Voito; id locum habuit aliquot hebdomadis post nuptias eorum celebratas.

5. Ambo coniuges sunt personae fide dignae; de Michaele minus affirmare queo, quia bene eum non novi. Sophiae etiam in causa sui matrimonii credi potest.

6. Nihil habeo addendum in ista causa. Depositio ista mihi alta voce est perlecta eamque pro mea agnosco et subscribo.

Eugenia Ar.

Depositionem exceperunt:

Sac. Leo Narys, Iudex.
Sac. Antonius Galis, defensor.
Sac. L. Savinis, notarius.

Interest Ioannes Molinis.

Ad generalia:

1) Vocor Ioannes Molinis; 2) 42 annos natus, proprietarius emporii medicamentarii, fidem profiteor catholicam, dego in Gardas, via Ponas N. 3; 3) vocatus sum a Sophia Voito; 4) iuramenti memini; 5) sum maritus sororis germanae Sophiae Voito.

Ad specialia:

1. Scio me vocatum esse in causa nullitatis matrimonii inter Sophiam et Michaelem Voito; a Sophia Voito id scio.

2. Sophiam cognosco a decem annis, Michaelem vero a duobus annis, saepe in praedio parentum Sophiae fui. Sophia Voito, nata Caprini, religiosa est, bonis moribus utitur; Michael Voito bonus esse videtur quoad mores, religiositatem vero eius quod spectat ignoro.

3. Per duas circiter hebdomadas a matrimonio celebrato convictus coniugum fuit concors, postea Sophia uxorem meam visitabat querebaturque de impotentia Michaelis ad copulam carna-

lem, mihi vero se infelicem esse tantum dixit, quia progeniem habere non posset. Impraesentiarum coniuges simul non cohabitant discesseruntque inter se propter praefatam causam.

4. Coniugibus Voito progenies deerat propter causam supra allatam. Sophia matrimonium suum putat esse invalidum propter impotentiam mariti; id ab ipsa Sophia rescivi brevi post eius nuptias celebratas. Scio a mea uxore cui qua sorori Sophia dixit conatus peragendi copulam carnalem fuisse frequentes, Michaelem Voito tunc frigido sudore sese inundasse et post duo minuta exanimatum apparuisse; in conatibus istis penem mariti non fuisse satis erectum. Praeterea dominus Voito saepe ante matrimonii celebrationem in urbem Varnam profectus est, quod credo in relatione cum eius impotentia sexuali fuisse.

5. In quantum scio, coniuges Voito sunt personae fide dignae. Sophiam quod attinet fidem meam interponere possum pro ea, eam esse veracem. Michael Voito pariter vir gravis esse videtur. In causa de qua agitur potest Sophiae credi; quod notitia quam de Sophia habeo innixus affirmo; Michaelem vero minus cognosco.

6. Nihil habeo addendum, perlectam mihi alta voce depositionem agnosco meam et subscribo.

Ioannes Molinis.

Depositionem exceperunt:

Sac. Leo Narys, Iudex.
Sac. Antonius Galis, Def. Vinc.
Sac. L. Savinis, Notarius.

Interest Antonina Caprini.

Ad generalia:

1) Vocor Antonina Caprini; 2) 47 annos nata, proprietaria praedii, catholica, dego in praedio Z., sub paroecia Indensi; 3) Vocata sum a Sophia Voito; 4) iuramenti memini; 5) sum Sophiae amita seu soror germana patris Sophiae Voito.

Ad specialia:

1. Scio me vocatam esse in causa nullitatis matrimonii inter Sophiam et Michaelem Voito; id a Sophia scio.

2. Sophiam a teneris annis cognosco, Michaelem autem Voito ex quo domum nostram qua sponsus filiae fratris mei visitare coepit. Filia fratris mei est religiosa et bonis utitur moribus, Michaelem vero Voito hac in re non cognosco.

3. Coniugum convictus erat discors eo quod Michael erat impotens ad actus coniugales. Id scio a filia fratris mei, quae id mihi dixit post convictum coniugalem per unum mensem prima data occasione. In praesentiarum coniuges non cohabitant simul; discesserunt inter se elapsis duobus mensibus cum dimidio a matrimonio celebrato; causa separationis erat impotentia Michaelis ad copulam carnalem.

4. Coniugibus Voito deerat progenies ob impotentiam maritalem Michaelis Voito. De inconsummatione matrimonii scio ex ore filiae fratris mei, de nullitate vero matrimonii ab ea non audivi quidquam.

5. Filia fratris mei Sophia est fide digna; Michaelem vero Voito non cognosco. Omnino credi potest Sophiae in causa istius matrimonii; quia illa etsi non amans sponsum tamen optima cum intentione creandi familiam ei nupsit.

6. Addere possum solummodo id quod mihi filia fratris mei narravit, scilicet occasione actuum coniugalium Michaelem factum fuisse exanimem, inundatum sudore ad nihilumque redactum. Pariter scio a filia fratris mei eam, non obstantibus commercii carnalis peragendi conatibus, permansisse virginem. Perlectam mihi alta voce depositionem agnosco meam et subscribo.

Antonina Caprini.

Sac. Leo Narys, Iudex.
Sac. Antonius Galis, Def. Vinc.
Sac. L. Savinis, Notarius.

Interest Vanda Molinis.

Ad generalia:

1) Vocor Vanda Molinis; 2) 29 annos nata, uxor proprietarii emporii medicamentorum, catholica, dego in Gardas. via Ponas N. 3; 3) vocata sum a Sophia Voito; 4) iuramenti memini; 5) sum soror germana Sophiae.

Ad specialia:

1. Scio me esse vocatam testem a mea sorore in causa nullitatis eius matrimonii cum Michaele Voito.

2. Coniuges Sophiam et Michaelem Voito cognosco bene. sororem cognosco uti sororem, Michaelem vero quia saepe nos ante matrimonium visitavit. Soror mea est admodum religiosa, Michael vero parum est religiosus. Soror bonis utitur moribus, Michael pariter bonus esse videbatur.

3. Coniugum convictus non erat concors statim post matrimonium celebratum, quia Michael impotens erat ad vitam coniugalem, quod mihi soror dixit, querebatur et plorabat. Impraesentiarum non cohabitant illi simul propter allatam causam, quod scio a sorore.

4. Coniugibus Voito deerat progenies. Tempore commercii coniugalis Michaelem Voito animus derelinquebat; Sophia eum expergefacere debebat. Id ipsa mihi dixit pariter atque hoc, quod conatibus copulam peragendi carnalem non obstantibus, ipsa permaneret virgo. Soror mihi dixit se matrimonium habere pro invalido. Ab alia persona de inconsummatione matrimonii non audivi.

5. Soror mea est fide digna, Michaelem Voito non cognosco, tamen mendax esse mihi non videbatur. In hac re coniugibus puto credi posse.

6. Addo quod soror mea Michaelem non amabat, nupsit ei non libenter; ex parte vero Michaelis manifestum erat eum velle cum sorore mea matrimonio copulari. Depositionem voce alta mihi perlectam agnosco meam et subscribo.

Vanda Molinis.

Sac. Leo Narys, Iudex.
Sac. Antonius Galis, Def. Vinc.
Sac. L. Savinis, Notarius.

Hisce protocollaris indagatio testium finita et sessio suspensa est die ut supra.

L. Savinis, Notarius.

Sessio II.

Anno 1923, diè 23 augusti comparuerunt testes producti a Michaele Voito et, delato ipsis iuramento quod praestiterunt tactis Evangeliis, deposuerunt ut sequitur.

Interest Stanislaus Kara.

Ad generalia:

Vocor Stanislaus Kara, 27 annos natus, catholicus, dego in Gardas, via Bernardin N. 12, vocatus a Michaele Voito, iuramenti memini, sum partium notus.

Ad specialia:

1. Ab ipso Michaele Voito scio quem in finem sim vocatus.

2. Michaelem Voito cognosco inde ab an. 1920, cognovi eum occasione negotiorum officiorumque implendorum; eius uxorem cognosco ex visu et opinione. Michael est religiosus et bonis utitur moribus, de eius uxore nihil dicere possum, quia parum eam cognosco.

3. De convictu coniugum Voito nihil dicere possum, impraesentiarum inde a mense ianuario non cohabitant simul, sed nescio, quam ob causam.

4. Coniugibus Voito progenies deerat, nescio cur; scio eos actionem nullitatis matrimonii instituisse et quidem, uti Michael Voito dixit, propter impossibilitatem convictus ob indolem uxoris.

5. In quantum cognosco Michaelem Voito, ille est homo fide dignus et eis quae ille deponit etiam in ista re prorsus credi potest, quod affirmo innixus notitia personali quam de Michaele habeo.

6. Nihil habeo addendum. Perlectam alta voce depositionem agnosco meam et subscribo.

Stanislaus Kara.

Depositionem exceperunt:

Sac. Leo Narys, Iudex.
Sac. Antonius Galis, Def. Vinc.
Sac. L. Savinis, Notarius.

Adest Maria Voito.

Ad generalia:

Vocor Maria Voito, 35 annos nata, catholica, dego in loco Pobia, vocata sum a Michaele Voito, iuramenti memini, sum uxor fratris Michaelis Voito.

Ad specialia:

1. A Michaele Voito scio quam ob causam sim vocata.

2. Michaelem Voito, uti fratrem mariti mei, cognosco a prima eius adolescentia, uxorem autem eius Sophiam cognovi solummodo ab eius matrimonio. Michael Voito bonis utitur moribus et honestus est, de Sophia vero nihil dicere possum, quia eam non novi.

3. Audivi convictum coniugum fuisse discordem, sed nescio qua de causa. Impraesentiarum ii simul non cohabitant, videntur per tres tantum menses simul cohabitasse et nescio, cur inter se discesserint.

4. Coniugibus Voito progenies deerat, sed nescio cur. Audivi Michaelem Voito matrimonium pro invalido habere, sed nescio cur. Michael mihi dixit uxorem suam esse rerum inopinatarum molitricem. Audivi ab uxore fratris mei maioris natu uxorem Michaelis eidem obiicere impotentiam sexualem. Opinor tamen idem obtinere ei ac marito meo et fratri eius maiori natu, uti ab eius uxore scio, qui in re sexuali sunt satis debiles, sed post arctiorem et longiorem conversationem debilitas ista disparescit quod confirmat factum quod tam ego, quam etiam uxor fratris maioris natu habemus prolem. Idem verisimilius obtingit Michaeli Voito.

5. Michael Voito integram meretur fidem et eis quae ipse deponit credi potest et debet; Sophiam vero hac ex parte non novi.

6. Nihil habeo addendum. Depositionem alta voce mihi perlectam meam agnosco et subscribo.

M. Voito.

Depositionem exceperunt:

Sac. Leo Narys, Iudex.
Sac. Antonius Galis, Def. Vinc.
Sac. L. Savinis, Notarius.

Adest testis Aemilia Kondra.

Ad generalia:

Vocor Aemilia Kondra, 34 annos nata, catholica, dego in Gardas, via Bernardin N. 12, vocata sum a Michaele Voito, iuramenti mimini, sum in famulatu domini Voito inde a hebdomada ante eius matrimonium.

Ad specialia:

1. Scio me vocatam esse testem in causa matrimonii coniugum Voito, idque scio a domino meo Voito.

2. Michaelem et Sophiam Voito novi satis bene uti famula. Dominus Voito est honestus et bonis utitur moribus; supra lectum habet crucem. Domina Voito est valde religiosa et pia.

3. Dissensiones in eorum consortio aderant, quia animus dominae Sophiae erat praeceps in iram, dominus vero Voito erat mansuetus. Impraesentiarum illi simul non cohabitant. Domina Sophia mense ianuario ad finem vergente vel initio februarii discessit.

4. Progenies eis deerat, sed nescio, cur defuerit. Relinquendo domum domina Sophia mihi dixit se abire quia maritus esset impotens ad vitam coniugalem. Erat fortiter irritata. Famulando eis animadverti fieri inter eos aliquid insoliti, sed quid nimirum, nescio, domina perpetuo erat irritata et male affecta.

5. In quantum coniuges Voito cognosco, in re gravi eis credi potest.

6. Nihil habeo addendum, depositionem mihi alta voce perlectam meam agnosco et qua scribendi nescia crucibus subscribo.

Aemilia Kondra +++

Depositionem exceperunt:

Sac. Leo Narys, Iudex.
Sac. Antonius Galis, Def. Vinc.
Sac. L. Savinis, Notarius.

Interest Hedviges Bara.

Ad generalia:

Vocor Hedviges Bara, 55 annos nata, evangelicae sum confessionis, dego in Gardas, via Bernardin N. 12, vocata sum a domino Voito, iuramenti memini, sum nota coniugum Voito.

Ad specialia:

1. Ab ipso Michaele Voito scio me esse vocatam, ut deponam in causa eius matrimonii.

2. Coniuges Voito bene cognosco; Michaelem melius cognosco etsi a breviore tempore, Sophiam vero cognosco inde ab ultimo tempore ante bellum, quia huius frater Vitoldus apud me habitabat. Ambo bonis utuntur moribus et sunt boni christiani.

3. Nihil scio de eorum convictu coniugali. Michael Voito mihi dixit uxorem suam indolem habere phantasticam. Impraesentiarum, inde ab aliquot mensibus, non amplius simul cohabitant; nescio qua de causa.

4. Coniugibus Voito progenies deest, nescio cur. De eorum separationis causis nihil dicere possum, quia nescio.

5. Michael Voito est homo gravis et fidem meretur, etiam quoad istam causam ei credi potest; Sophia vero est iracunda, phantastica, non tamen animadverti, ut contra veritatem peccaret.

6. Nihil addendum habeo. Depositionem mihi alta voce perlectam meam agnosco et subscribo.

Hedviges Bara.

Depositionem exceperunt:

Sac. Leo Narys, Iudex.
Sac. Antonius Galis, Def. Vinc.
Sac. L. Savinis, Notarius.

Interest Petrus Smielis.

Ad generalia:

Vocor Petrus Smielis, 28 annos natus, catholicus, dego in Gardas, via Septentrionali N. 3, vocatus sum a Michaele Voito, iuramenti memini, sum coniugum Voito notus.

Ad specialia:

1. Scio me esse vocatum, ut deponam in causa matrimonii coniugum Voito, quod ab ipso Michael Voito rescivi.

2. Michaelem Voito cognosco quia mihi cum eo consuetudo est, Sophiam vero cognosco ex visu. Michael Voito est honestus et bonus, Sophiam vero Voito ex hac parte non cognosco.

3. De eorum convictu coniugali nihil nisi quod Michael Voito mihi dixit scio, quod scilicet discors fuerit. Impraesentiarum ii simul non cohabitant, sed nescio quo ex tempore.

4. Coniugibus progenies deerat, sed nescio cur; de validitate vel nullitate eorum matrimonii nihil dicere possum.

5. Michael Voito notus mihi est optima ex parte, credi ei potest in genere, pariter in ista causa. Sophiam vero quod attinet nihil dicere possum.

6. Nihil habeo addendum. Depositionem mihi alta voce perlectam meam agnosco et subscribo.

Petrus Smielis.

Depositionem exceperunt:

Sac. Leo Narys, Iudex.
Sac. Antonius Galis. Def. Vinc.
Sac. L. Savinis, Notarius.

Interest Felix Prusa.

Ad generalia:

Vocor Felix Prusa, 36 annos natus, catholicus, dego in Gardas, via Larga N. 15, vocatus sum a Michaele Voito, iuramenti momini, inter me et dominum Voito necessitudo muneris intercedit.

Ad specialia:

1. A Michaele Voito scio me esse vocatum in causa matrimonii sui.

2. Cognosco tantummodo Michaelem Voito et quidem inde a mense aprili 1922. Est vir bonus et honestus in quantum eum cognovi.

3. De eorum convictu coniugali nihil dicere possum, quia nescio.

4. Nescio, an fuerit eis progenies, aut cur quaerunt declarationem nullitatis matrimonii.

5. Cognoscens Michaelem Voito possum affirmare eum fidem mereri et in re gravi contra veritatem non peccare, idem affirmare de eo licet etiam quoad istam causam.

6. Nihil habeo addendum Depositionem mihi alta voce perlectam meam agnosco et subscribo.

Felix Prusa.

Depositionem exceperunt:

Sac. Leo Narys, Iudex.
Sac. Antonius Galis, Def. Vinc.
Sac. L. Savinis, Notarius.

40. Acta Iudicio Episcopali mittuntur.

Illustrissimo Iudicio Episcopali Undanensi.

Acta in causa nullitatis matrimonii Caprini-Voito una cum hisce Ill.mo Iudicio transmittere honori mihi duco.

Datum in Gardas, die 27 augusti 1923, N. 1294.

Sacerdos Leo Narys, Decanus Gardensis.

41. Notitiae de religiositate et honestate partium et testium exquiruntur.

Undae, die 24. X. 1928, *N.* 1972.

Admodum Reverendo Domino Leoni Narys, Decano Gardensi in Gardas.

Sophia Voito, nata Caprini, coram hoc Iudicio Episcopali Undanensi actionem institutit ad obtinendam declarationem nullitatis matrimonii sui ob impotentiam mariti Michaelis Voito. Causa ista pertractatur penes hoc Tribunal ad normam canonis 1963 § 2 Codicis Iuris Canonici et iuxta *Regulas* Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentarorum diei 7 maii 1923 anni n. 3. Quapropter Iudicium Episcopale presentibus Te, A. R. Domine, rogat, ut, pro pastoralis officii Tui sanctitate et sollicitudine, ad rem inquiras et distincte huic Tribunali significes notas de religione et honestate utriusque coniugis ac testium 1) Helenae Ar, 2) Eugeniae Ar, 3) Ioannis Molinis, 4) Reginae Caprini, 5) An-

toninae Caprini, 6) Vandae Molinis, 7) Stanislai Kara, 8) Mariae Caprini, 9) Aemiliae Kondra, 10) Hedvigis Bara, 11) Petri Smielis et 12) Felicis Prusa, quos diebus 13 iulii et 23 augusti anni curr. examini iudiciali subiecisti, an nempe praecepta religionis adimpleant, an bonis moribus sint imbuti, qua fama gaudeant et an eis credi debeat, etiam cum deponant de rebus quae ipsorum intersint seu circa matrimonii inconsummationem.

Insuper velis, A. R. Domine, referre de omnibus aliis quae ad utriusque coniugis ac testium depositiones rite aestimandas necessaria et opportuna videantur, ita ut sufficiens plenum testimonium ad praefatam Sacram Congregationem transmitti possit, circa rem quae ad controversum matrimonium pertinet.

Quod si coniuges vel testes vel aliqui eorum non fuerint cogniti, opportunas inquisitiones instituas, ope sacerdotum ecclesiae paroeciali addictorum vel alius prudentis personae. Tibi bene visae, et quidem secreto, sed ita, ut congruae et certae notitiae colligantur.

Praelatus Ioannes Ganas. Officialis.
Antonius Vidmont, Notarius.

Illustrissimo Iudicio Episcopali Undanensi.

42. Decanus Gardensis mittit Iudicio notitias collectas.

Iuxta litteras Ill.mi Iudicii diei 24. X. 1923 a. N. 1972. requisita testimonia in causa matrimonii coniugum Voito una cum hisce obsequentissime transmitto.

Datum in Gardas, die 31 decembris 1923 a. N. 2801.

Sac. Leo Narys, Decanus.

Testimonium.

Praesentibus notum facio atque attestor Sophiam Voito, natam Caprini, 30 annorum, parochianam meam optimis moribus esse imbutam, praecepta religionis rite adimplere, bona fama gaudere ac proinde fide dignam esse.

Datum Indae, die 10 novembris 1923 an. N. 262.

L. ✠ S.

Sacerdos Ioannes Kunas, Parochus Indensis.

Testimonium.

Praesentibus testificor tam Antoninam Caprini, quam Vandam Molinis semper adimplere praecepta religionis adnumerandasque esse mulieribus devotis, bonis moribus institutas, fama gaudere optima proinde fide dignas esse. Regina Caprini ante suum coniugium semper apud me confessionem sacramentalem peragebat, adhuc invenis in matrimonium ducta est, nunc eam scio honeste cum viro suo vivere, proinde puto eam fide dignam esse.

Datum Indae, die 4 novebbris 1923 an.

L. ✠ S.

Sacerdos Ioannes Kunas, Parochus Indensis.

Testimonium.

Praesentibus notum facio ac tetificor personaliter mihi notos parochianos meos: 1) Helenam Ar, 2) Eugeniam Ar, 3) Ioannem Molinis, 4) Stanislaum Kara, 5) Aemiliam Kondra, 6) Petrum Smielis et 7) Felicem Prusa, praecepta religionis adimplere, bonis moribus esse inbutos ac optima fama gaudere adeoque fide dignos esse. Quod spectat Hedvigen Bara, haec est calvinianae haeresis assecla, attamen optima fama apud omnes gaudet. Mariae Voito domicilium mihi est ignotum.

Datum in Gardas, die 31 decembris 1923 an. N. 2799.

L. ✠ S.

Leo Narys, Decanus Gardensis.

Testimonium.

Praesentibus notum facio ac testificor mihi personaliter notos ac olim parochianos meos, coniuges Voito Michaelem et Sophiam, natam Caprini, praecepta religionis adimplere, bona fama gaudere, optimis moribus esse inbutos ac proinde fide dignos esse.

Datum in Gardas, die 31 decembris 1923 an. N. 2800.

Leo Narys, Decanus Garden.

Undae, die 10. III. 1924 *an. N.* 631.

43. Exquiritur votum defensoris vinculi ante processus conclusionem.

A. R. Domino Adamo Savo, Defensori vinculi.

Iudicium Episcopale una cum hisce acta iudicialia in causa dispensationis matrimonii Caprini-Voito Tibi, A. R. Domine, transmittit, ut votum Tuum des ante processus in ista causa conclusionem. Acta huic Tribunali remittas oportet ante diem 25 martii currentis. *Praelatus Ioannes Ganas.* Officialis.

Antonius Vidmont, Notarius.

44. Votum defensoris vinculi.

Illustrissimo ac Reverendissimo Iudicio Episcopali Undanensi.

Respondens ad mandatum diei 10. III. a. c. N. 631, ut votum meum ante conclusionem processus in causa matrimonii Caprini-Voito dem, dicendum mihi puto, adhuc desiderari, ut numerus testium septimae manus compleatur examinando consanguineos imprimis e latere partis conventae et testimonium de religiositate et veracitate testis Mariae Voito comparetur.

Undae, die 2. IV. 1924. *A. Savo,* Vinc. Def.

45. Decretum conclusionis processus.

In processu super matrimonio quod contenditur ratum et non consummatum inter Sophiam Caprini et Michaelem Voito, habita ratione supplicis libelli oratricis diei 13 aprilis 1923 et interrogato Defensore vinculi qui litteris die 2 aprilis a. c. datis respondit, perpensis omnibus actis, partium et testium depositionibus ac adnexis documentis, cum causa, attentis personarum et rerum adiunctis, satis instructa sit, memoratis litteris Defensoris vinculi non obstantibus, consensu unanimi decernimus clausam esse instructionem processus, et omnia acta in authentico exemplari, una cum voto scripto Ill.mi ac Rev.mi Ordinarii et Defensoris vinculi, transmittenda esse ad S. Congregationem de disciplina Sacramentorum.

Undae, die 7 aprilis 1924.

Praelatus Ioannes Ganas. Officialis.

Sac. I. Buono, Iudex Prosynodalis.

Sac. Albinus Vasarinis, Iudex Prosynod.

Sac. Antonius Vidmont, Notarius.

46. Exquiruntur animadversiones et votum defensoris vinculi.

Undae, die 8. IV. 1924 *an. N.* 901.

A. R. Domino Adamo Savo, Defensori vinculi.

Iudicium Episcopale Undanense una cum hisce acta iudicialia in causa dispenastionis matrimonii Caprini-Voito Tibi, A. R. Domine, trasmittit, ut animadversiones Tuas super processus instructione conficias votumque Tuum in ista causa des, ad normam canonis 1985 Codicis Iuris Canonici et N. 9 *Regularum* Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum diei 7 maii 1923 Acta huic Tribunali remittas oportet ante diem 25 aprilis currentis.

Praelatus Ioannes Ganas, Officialis.
Antonius Vidmont, Notarius.

47. Animadversiones et votum defensoris vinculi.

Illustrissimo Iudicio Episcopali Undanensi.

Accepto mandato diei 8. IV. a. c. N. 901, ut animadversiones super processus instructione conficiam votumque in causa dispensationis matrimonii Caprini-Voito dem, haec animadvertenda censeo.

1. Die 12 mensis martii 1923 an. acta processus in causa assertae nullitatis matrimonii Caprini-Voito ex capite impotentiae viri (in quo processu non impotentiae, sed inconsummati matrimonii probatio facienda emersit) publicata sunt. Actrix Sophia acta causae perlegit et petiit ab Ill.mo Iudicio, ut adhuc testes septimae manus examinarentur. Ill.mus Officialis petitum testium examen perficiendum demandavit. Sed hic procedendi modus non est conformis Iuri Canonico (Cf. can. 1963 et 1786).

2. Maritus actricis minime inventus est impotens. Quod vero attinet physicas notas virginitatis Sophiae, actricis in causa, a peritis repertas, hae non plus dicere valent quam Sophiam non esse defloratam hoc sensu quod membranam hymeneam non habeat laceratam. Sed eius hymenis conformatio talis est (hymen laxus, mollis, ultra modum flexibilis), ut copulam carnalem cum viro perficere valeat, quin defloratio appareat.

Adamus Savo, Vinculi Defensor.

Testificatio
de authenticitate exemplaris actorum.

48. Exemplar actorum authenticum declaratur.

Facta collatione praesentis actorum exemplaris cum omnibus actis et documentis originalibus exsistentibus in archivo huius Undanensis Iudicii Episcopalis, testor infrascriptus constare de fideli versione, transcriptione et integritate eiusdem exemplaris, quod transmittitur ad Sacram Congregationem de disciplina Sacramentorum.

Datum Undae, ex aedibus Curiae Dioecesanae Undanensis, die 6 maii 1924.

In fidem
L. ✠ S.

Praelatus Ioannes Ganas, Officialis.
Sac. Antonius Vidmont, Notarius.

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

49. Votum Episcopi.

Die 22 octobris 1922, in ecclesia parochiali, sita in loco Inda, dioecesis Undanensis, Michaelem Voito, caelibem, 34 annorum medicum veterinarium, inter et Sophiam Caprini, virginem 29 annos natam, matrimonium rite contractum est. Quae nuptiae infelices evaserunt. Etsi enim dicti coniuges spatio sex circiter hobdomadarum matrimonium consummare tentassent, illud minimo perfecerunt, vita coniugalis abrupta est et mulier die 13 ianuarii 1923, Iudicio Episcopali Undanensi supplicem libellum porrexit, ut coniugium istud, ob mariti impotentiam ad actus coniugales perficiendos, nullum declararet. Actis iudicialibus publicatis, actrix die 13 aprilis 1923 supplici libello idem Iudicium rogavit, ut processum per examen testium septimae manus suppleret actaque ad Beatissimum Patrem mitteret in ordire ad implorandam dispensationem super matrimonio suo utpote rato et non consummato.

Tam confessiones partium quam experimentum medicorum et depositiones testium septimae manus ex utroque latere inductorum, matrimonii de quo agitur inconsummationem extra dubium ponere videntur. Altera vero ex parte nulla affulget spes addu-

cendi coniuges ad convictus restitutionem, quin imo oratrix aversionem erga maritum physicam se experiri asserit, periculumque incontinentiae utrique parti imminere dicendum est.

Quae cum ita sint, pastoralis officii mei esse duco preces oratricis clementissimae benignitati Eminentiae Tuae Reverendissimae commendare ut infaustum hoc matrimonium Beatissimo Patri pro elargienda petita dispensatione praesentetur.

Acta iudicialia in authentico exemplari dum una cum hisce transmitto, sacram Purpuram reverenter deosculor.

Datum Undae, e Curia Dioecesana, die 9 maii 1924.

Eminentissimi ac Reverendissimi Domini

Addictissimus famulus

† *Ioannes Matala,* Episcopus Undanensis

L. ✠ S.

Alexander Vilionis, Cancellarius Curiae.

Em.mo ac Rev.mo Domino
Domino Cardinali Praefecto S. Congregationis
de disciplina Sacramentorum - Romam.

INDEX

actorum et documentorum speciminis secundi

NUM.		PAG.
1.	Supplex libellus Sophiae Voilo, actricis	157
2.	Testimonium matrimonii	158
3.	Acta mittuntur Defen. V., ut interrog. pro partibus conf.	158
4.	Citantur partes ad examen subeundum	158
5.	Votum Defensoris vinculi	159
6.	Interrogatoria pro examine iudiciali partium	159-160
7.	Examen iudiciale actricis et rei conventi	160-162
8.	Medicus Buconis nominatur peritus pro actrice	162
9.	Medicus Cerato nominatur peritus pro actrice	162
10.	Adeles Samonis nominatur honesta matrona	163
11.	Relatio medici Buconis de inspectione peracta	163
12.	Relatio medici Cerato de inspectione peracta	164
13.	Interrogatoria pro examine iudiciali peritorum	164-165
14.	Examen iudiciale medici Buconis	165-166
15.	Examen iudiciale medici Cerato	166
16.	Interrogatoria pro examine iudiciali honestae matronae	167
17.	Examen iudiciale honestae matronae	167-168
18.	Medicus Galinis nominatur peritus pro reo convento	168
19.	Medicus Valdo nominatur peritus pro reo convento	168
20.	Relatio medici Galinis de inspect. peracta	169
21.	Relatio medici Valdo de inspect. peracta	169
22.	Interrogator. pro exam. peritorum rei conventi	170
23.	Examen iudiciale medici Galinis	170-171
24.	Examen iudiciale medici Valdo	171-172
25.	Exquiritur votum Defens. vinc.	172
26.	Votum Defensoris vinculi	173
27.	Decretum publicationis actorum iudicialium	173
28.	Notificatio publicat. processus actrici	173

NUM.		PAG.
29.	Notificatio publicat. processus reo convento	173
30.	Suppl. lib. actricis, ut acta ad Beat. P. pro dispen. mitt. .	174
31.	Defensori v., ut interrogat pro testibus cunficiat . .	174-175
32.	Examen testium committitur Decano Gardensi . . .	175
33.	Interrogatoria pro examine testium	175-176
34.	Constitutio· Tribunalis delegati	176
35.	Iusiurandum Iudicis auditoris	176
36.	Iusiurandum Defensoris vinculi	176
37.	Iusiurandum Notarii	176
38.	Iusiurandum testium	176-177
39.	Examen iudiciale testium septimae manus	177-188
40.	Iudex auditor acta Iudicio Episcopali mittit	188
41.	Notititiae de veracitate pertium et testium exquir . .	188
42.	Notitiae veracitate partium et collectae	189-190
43.	Exquiritur votim Defen. vinculi	191
44.	Votum Defensoris vinculi ante processus conclus. . .	191
45.	Decretum, conclusionis processus	191
46.	Exquiruntur animadversion. votumque Def. v. . . .	192
47.	Animadversiones et votum Defens. v.	192
48.	Exemplar actorum authenticum declaratur	193
49.	Votum Rev.mi Ordinarii	193-194

SPECIMEN TERTIUM

ARGUMENTUM.

Thomas Stankus per Rev.um Ordinarium Undanensem supplicem libellum Beatissimo Patri porrigit in ordine ad impetrandam dispensationem super matrimonio suo utpote rato et non consummato quod cum Maria Valiunas contraxit. Vi obtentae facultatis in Curia Undanensi conficitur canonicus processus. Dispensatio conceditur a SS.mo die 20. XII. 1926, post examen causae in conventu S. Congregat. de disciplina Sacramentorum Num. Protoc. 3992/25.

DIOECESIS UNDANENSIS.

DISPENSATIONIS MATRIMONII STANKUS-VALIUNAS QUOD CONTENDITUR RATUM ET NON CONSUMMATUM.

SESSIO I.

1. Tribunalis constitutio.

Anno Domini 1925, mense octobri, die 14, hora 11, in urbe Unda, in aedibus Curiae Dioecesanae, adsunt:

Iudex subdelegatus Rev.mus Praelatus Ioannes Ganas,
Defensor vinculi Rev. D. Adamus Savo,
Actuarius Rev. D. Antonius Vidmont.

Rev.mus Iudex communicat:

1) Litteras S. C. de disciplina Sacramentorum, datas die 15, mense iulio 1925 (Num. Protoc. 3992/25), quibus Ordinario Undanensi committitur instructio processus in causa super matrimonio quod contenditur ratum et non consummatum inter Thomam Stankus et Mariam Valiunas.

2) Litteras Rev.mi Ordinarii Undanensis, datas die 1, mense septembri 1925 anno, quibus subdelegat officium iudicis eidem Rev.mo Praelato Ioanni Ganas, nec non deputat alios officiales supra scriptos: videlicet ut defensorem vinculi Rev. D. Adamum Savo et ut actuarium Rev. D. Antonium Vidmont.

3) Supplicem libellum Thomae Stankus, oratoris, pro instituendo processu.

Tum Iudex instructor ac singuli ministri tribunalis iusiurandum praestant de suo cuiusque officio rite ac fideliter adimplendo et de secreto servando, formulis adhibitis quae exstant in Appendice *Regularum* S. C. Sacrament. diei 7 maii 1923 (nn. VII et IX).

Idem Iudex D. Ioannem Lupini deputat ut cursorem, qui schedas citationis afferat.

Quibus peractis, Iudex decernit ut exemplar libelli intimetur parti conventae, necnon ut idem libellus allegetur actis inquisitionis, prout etiam praefatae litterae S. C. et litterae subdelegationis Rev.mi Ordinarii.

Idem Iudex subdelegatus, audito vinculi defensore, ad examen oratoris procedendum esse decernit ideoque eum citari mandat ut compareat coram praefato Iudice, in aula sessionum huius S. Tribunalis (Undae, via Pilis N. 6) 1925 anno, mense octobri, die 24, hora 11, ut examen subeat in causa matrimonii a se intentata.

Iudex simul dat nuncium defensori vinculi, ut ante praedictum diem exhibeat interrogatoria clausa et obsignata oratori proponenda, atque ut praefato examini intersit.

De hisce omnibus redacta est praesens relatio, quae subscribitur a Rev.mo Iudice subdelegato et a ministris tribunalis.

Die et loco ut supra

L. ✠ S.

Praelatus Ioannes Ganas, Iudex subdelegatus.
Adamus Savo, defensor s. vinculi.
Antonius Vidmont, actuarius.

Sacra Congregatio de Sacramentis.
Num. Protoc. 3992/25

2. Litterae delegationis S. Congr. de Sacram.

Romae, 15 iulii 1925.

(*in responsione hic numerus referatur*).

Ill.me ac Rev.me Domine,

Relatis in Sacra Congregatione de disciplina Sacramentorum precibus quibus Thomas Stankus postulat dispensationem super matrimonio ab ipso contracto cum Maria Valiunas utpote rato et non consummato, eadem Sacra Congregatio praesentibus facultatem tribuit Amplitudini Tuae Reverendissimae conficiendi processum super asserta non consummatione dicti matrimonii et causis dispensationis ad normam Codicis Iuris Canonici, cum potestate etiam subdelegandi pro excussione partium ac testium, prouti casus ferat.

Curet Amplitudo Tua pro eo, quo pollet, zelo animarum et veritatis studio, ut in causa instruenda, hisce litteris Tibi commissa *Regulae* adamussim observentur quae, editae decreto diei 7 maii 1923, promulgatae sunt in Commentario Officiali *Acta Apostolicae Sedis*, sub die 1 augusti 1923.

Interim omnia bona et fausta Tibi adprecor a Domino

M. Card. Lega, Praefectus.
† *A. Capotosti*, Ep. Thermen. Secretarius.

Ill.mo ac Rev.mo
Domino Episcopo Undanen.

Ill.mo ac Rev.mo Domino Ioanni Ganas, Suae Sanctitatis Praelato domestico, etc.

3. Litterae subdelegationis Rev.mi Ordinarii Undanen.

Cum Eminentissimus ac Reverendissimus Dominus Lega, S. R. E. Cardinalis, Praefectus S. Congregationis de disciplina Sacramentorum, litteris datis die 15 iulii 1925, Nos instructus fecisset de mandato ob eadem S. Congregatione Nobis commisso, ut processum conficiendum curemus ad normam iuris, praesertim *Regularum* eiusdem S. C. diei 7 maii 1923, super asserta in-

consummatione matrimonii contracti a Thoma Stankus cum Maria Valiunas et causis petitae dispensationis, expresse addita potestate subdelegandi, Nos per praesentes litteras ad eiusmodi processum conficiendum Iudicem subdelegamus Illustrissimum ac Re-Reverendissimum Dominum, qui sese gerat in omnibus ad tramitem Codicis Iuris Canonici et iuxta citatas *Regulas* nec non iuxta peculiares instructiones a S. Congregatione in praefatis litteris datas. Simul autem eligimus ac deputamus:

Defensorem vinculi A. R. D. Adamum Savo, Actuarium A. R. D. Antonium Vidmont, Notarium Curiae.

L. ✠ S.

✠ *Ioannes Matala,* Episcopus Undanensis.
Alexander Vilionis, Curiae Cancellarius.

4. Supplex libellus Thomae Stankus.

Beatissime Pater,

Arnoldus Butovt, ex dioecesi Undanensi advocatus, residens in oppido Unda, via Pilis N. 8, procurator nobilis Thomae Stankus, filii Stanislai, ad pedes Sanctitatis Tuae humillime provolutus, quae sequuntur, exponit.

Anno Domini 1907, die 8 augusti, Thomas Stankus, in praedio Pilaite, sub paroecia Kalnelensi, domicilium habens, praemissis denuntiationibus a iure statutis, matrimonium in capella in loco Ragine, sub paroecia Kalnelensi, cum Maria Valiunas, filia Vladislai, ex praedio Ragine oriunda, tunc 19 annos nata rite contraxit.

Maria Valiunas, dum esset sponsa, conditionem sine qua non Thomae Stankus statuit, ut post nuptias per quoddam tempus secum uti frater cum sorore habitaret. Sponsus conditionem hanc acceptavit et matrimonium est contractum. Cohabitatio coniugum uti fratris cum sorore duravit per 17 annos quibus maritus frustra ab uxore ius reddendi sibi debitum coniugale postulavit. Thomas Stankus hunc statum intolerabilem putat quippe qui prolem habere et genus suum firmare vult.

Infrascriptus testimonium matrimonii celebrati, testimonium medicale Mariam Stankus confirmans virginem manere intactam atque procurationem Thomae Stankus hisce adnectens ad pedes

Sanctitatis Tuae confugit Apostolicam dispensationem super matrimonio rato et non consummato misericordem implorans Sanctitatis Tuae.

Addictissimus filius.

Arnoldus Butovt.

Datum Undae, die 12 iunii, 1925.

INTERROGATORIA. 5. Interrogatoria pro exam. iud. oratoris.

pro examine iudiciali Thomae Stankus, oratoris in causa dispensationis sui matrimonii.

1. Generalia.

2. An confirmet suum supplicem libellum in singulis partibus; an et cuiusnam opera usus fuerit pro huius causae propositione et in supplici libello conficiendo.

3. Quamdiu nuptiales coniugum negotiationes duraverint.

4. An matrimonium de parentum consensu et ex mutuo amore inierint.

5. An praecesserint banna; qua communi laetitia et pompa matrimonium fuerit celebratum et hymenaeus, quibus intervenientibus.

6. Quamdiu coniuges simul cohabitaverint; an officiis coniugalibus operam dederint; cur non.

7. Quisnam vitam communem abruperit, quam ob causam.

8. An partes suas coniugales vicissitudines narraverint, quando, cui, qua de causa.

9. Quonam modo pars didicerit recursum talibus in casibus ad auctoritatem ecclesiasticam instituere posse.

10. Quaenam sint causae, ob quas dispensationem postulavit, et an in suo robore maneant.

11. An uxor petitioni dispensationis consentiat et qua de causa.

12. Indicet testes.

13. An habeat instrumenta vel documenta ad rem facientia.

14. An sit aliquid addendum, supprimendum, variandum.

A. Savo, Vinc. Def.

6. Examen iudiciale oratoris.

Sessio II.

In Dei nomine. Amen.

Anno Domini 1925, mense octobri, die 24, hora 11, in urbe Unda, in aedibus Curiae Dioecesanae, coram Reverendissimo Domino Praelato Ioanne Ganas, Iudice subdelegato, adstantibus R. D. Adamo Savo, defensore vinculi, et infrascripto actuario, comparuit Dominus Thomas Stankus, orator in causa dispensationis sui matrimonii, pro hac die rite citatus.

Iudex iusiurandum ab oratore petit et accipit iuxta modum et formulam praescriptam.

Deinceps, postulante defensore vinculi, Iudex schedam, quam idem defensor clausam exhibuerat, continentem interrogatoria oratori proponenda, reserat, et statim procedit, iuxta eadem interrogatoria, ad examen oratoris, qui, post perlecta ab actuario Iudicis et ministrorum Tribunalis nomina, ad singulas quaestiones respondet ex ordine ut sequitur.

1. Vocor Thomas Stankus, agricola, 45 annos natus, catholicus, obligationes religiosas adimpleo, commoror in praedio Pilaite, sub paroecia Kalnelensi.

2. Pro huius causae propositione usus sum opera advocati Arnoldi Butovt.

3. Tempus sponsalicium duravit unum annum cum dimidio.

4. Ego matrimonium inii ex amore et de parentum consensu, illa vero pariter de parentum consensu et, ut aiebat, ex amore.

5. Matrimonium iniimus obtenta dispensatione a bannis. Matrimonium et hymenaeus celebratus est more solito. Duabus hebdomadibus ante matrimonium ineundum coadunatio oblectatoria locum habuit, die vero celebrationis matrimonii tantummodo coena, sine oblectatione (choreis). Matrimonii celebrationi et hymenaeo interfuerunt: 1) pater meus Stanislaus, qui iam mortuus est, 2) mea noverca Maria-Anna Stankus, quae Varnae, commoratur, 3) meus frater maior natu Ioanne Stankus, qui in praedio Marele, sub paroecia Ragine, commoratur, 4) fratres mei Vladislaus Stankus (in praedio Pilaite) et 5) Antonius Stankus (Varnae) ex parte uxoris meae adfuere: 1) eius mater Aemilia 4.to voto Du-

linska, quae iam mortua est, 2) eius pater non amplius inter vivos fuerat adeoque praesens fuit eius vitricus Dominicus Dulinski, qui etiam mortuus est, 3) Elisabeth Palubis quae iam decessit, 4) Boleslaus Palubis (in praedio Pastovis, sub paroecia Ragine), 5) Edmundus Nemussa, qui iam mortuus est et 6) sua uxor Alina Nemussa (Undae, via S. Jacobi n. 10), 7) Alexander Potocki, qui iam mortuus est, et sua uxor Maria, quae alicubi in Polonia habitat.

6. Simul cohabitavimus inde a matrimonio celebrato usque ad 1924 annum. Non cubavimus eodem cubiculo nisi in casu invitationis hospitio et bis in diversorio, sed semper in lectis singuli separatis. Commercium coniugale numquam inter nos locum habuit, quia uxor mea talem actum homine habuit indignum, ego vero ante matrimonium ineundum fidem ei dederam non me vim contra eam esse adhibiturum, etsi osculis et hortationibus eam ad id compellere conatus sum, sed hoc in cassum cessit.

7. Ego vitam communem abrupi modo agendi uxoris depressus. Hunc uxoris modum agendi puto originem suam habere in eius natura frigida. Bello finito illa mihi dixit se me existimare, sed non amare quia sibi persuaserit non id fuisse amorem quod pro amore habuisset, adiiciebat simul suum desiderium esse, ut in alicuius amorem incideret.

8. Mense maio anni qui matrimonium celebratum secutus est, a parentibus, qui insolitam nostram conversationem animadverterunt, interrogatus de commercio coniugali cum uxore, respondi nondum hoc inter nos locum habuisse, sed me sperare, ut res in melius mutetur. 1921 vel 1922 anno de hac re locutus sum cum Venceslao Gerutis (in praedio Rauda). Hoc notum est toti familiae etsi sermonem de hac re instituendum vitabam.

9. Ego id ipse noveram, quia similis casus noto meo Ioanni Catini acciderat.

10. Conversatio mea cum uxore vitam reddidit mihi intolerabilem, ulterius ita vivere non possum et dispensationem imploro.

11. Uxor consentit, quia mihi dixit se mecum cohabitare non posse, in alicuius amorem incidere velle et iam incidisse videtur.

12. Personae quae de mea veracitate et honestate deque mea

cum uxore conversatione testari possunt, sunt sequentes: 1) Maria-Anna Stankus, 2) Venceslaus Gerutis, 3) fratres mei Ioannes, 4) Adamus (Varnae habitat), 5) Vladislaus, 6) Antonius et 7) Alina Stankus, uxor fratris mei Ioannis.

13. Nihil tale habeo.

14. Uxor consentit se inspectioni medicali submittere. Nihil habeo addendum, perlectam mihi depositionem qua meam agnosco eamque iuramento et subscriptione confirmo.

Thomas Stankus.

Praelatus Ioannes Ganas, Iudex.
Sac. A. Savo, Vinc. Def.
Antonius Vidmont, Notarius.

7. Decretum pro citatione partis conventae.

Die et loco ut supra post peractum examen oratoris Rev.mus Iudex subdelegatus in ius vocari mandat Mariam Stankus, natam Valiunas (in praedio Ragine cammorantem), uxorem conventam eique dici diem 28 novembris 1925 anni horam 11, in aedibus Curiae Dioecesanae Undanensis (Undae, via Pilis N. 6), ut iuratum examen et inspectionem legalem corporis subeat in processu a Thoma Stankus, marito eiusdem uxoris, intentato, qui processus in hoc Tribunali conficitur ex mandato S. C. de disciplina Sacramentorum diei 15 iulii 1925 anni, super asserta inconsummatione matrimonii dictorum coniugum, et causis Apostolicae quae efflagitatur dispensationis. Praeterea Iudex decernit de re monendas esse peritas Alinam Zemkalnis et Stephaniam Uzsuka nec non honestam matronam Sophiam Kratutis actaque tradenda Defensori vinculi, ut interrogatoria pro examine iudiciali partis conventae conficiat.

Praelatus Ioannes Ganas, Iudex.
Antonius Vidmont, Actuarius.

8. Interrogatoria pro examine partis conventae.

INTERROGATORIA.

pro examine iudiciali Mariae Stankus, partis conventae, in causa dispensationis sui matrimonii.

1. Generalia.

2. Quamdiu nuptiales negotiationes partium duraverint.

3. An coniuges de parentum consensu et ex mutuo amore matrimonium inierint.

4. An praecesserint banna; qua communi laetitia et pompa matrimonium fuerit celebratum et hymenaeus, quibus intervenientibus.

5. Quamdiu partes simul cohabitaverint; an eodem cubiculo et lecto cubaverint.

6. An partes officiis coniugalibus ultro libenterque operam dederint; an matrimonium consummaverint.

7. Cur matrimonium manserit inconsummatum; an media aliqua fuerint adhibita ad obstacula ista amovenda.

8. An pars habeat instrumenta vel documenta ad rem facientia.

9. An pars ista narraverit cui, quando, quid, quo fine.

10. Quaenam sint causae ob quas vir dispensationem postulavit; an pars petitioni dispensationis consentiat, qua de causa.

11. Indicet testes septimae manus.

12. An pars putet se adhuc integritate pollere et parata sit corporali inspectioni peritarum sese submittere.

13. An sit aliquid addendum, supprimendum, corrigendum, variandum.

Sac. A. Savo, Vinc. Def.

Sessio III.

9. Examen iudiciale partis conventae.

In Dei nomine. Amen.

Anno Domini 1925, mense novembri, die 28, hora 11, in urbe Unda, in aedibus Curiae Dioecesanae, coram Rev.mo Domino Praelato Ioanne Ganas, Iudice subdelegato, adstantibus R. D. Adamo Savo, defensore vinculi, et infrascripto actuario, comparuit Domina Maria Stankus, nata Valiunas, pars conventa in causa dispensationis sui matrimonii, pro hac die et hora rite citata.

Iudex iusiurandum a parte conventa petit et accipit iuxta modum et formulam praescriptam.

Deinceps, postulante defensore vinculi, Iudex schedam, quam idem defensor clausam exhibuerat, continentem interrogatoria,

parti conventae proponenda, reserat, et statim procedit, iuxta eadem interrogatoria, ad examen partis conventae, quae, post perlecta ab actuario iudicis et ministrorum Tribunalis nomina, ad singulas quaestiones respondet ex ordine ut sequitur.

1. Vocor Maria Stankus, de domo Valiunas, 36 annos nata, catholicam profiteor religionem, obligationes religiosas adimpleo, iudicialiter non sum punita, rei domesticae gerendae operam do, dego in praedio Ragine.

2. Nuptiales negotiationes duraverunt per unum annum.

3. Matrimonium iniimus ex amore et de parentum consensu.

4. Banna minime praecesserunt, obtinuimus indultum; matrimonium celebratum est in capella in praedio Ragine, sola proxima familia interveniente; ex iis qui adhuc vivunt adfuere: Maria Potocka quae alicubi in Polonia habitat, et sacerdos Mikonis qui matrimonio adstitit.

5. Cohabitavimus simul a matrimonio celebrato usque ad 1924 annum. Cubavimus in cubiculis separatis, simul non condormivimus.

6. Actus coniugales pari modo ac conatus talium actuum locum non habuerunt.

7. Matrimonium inii 18 annis nondum expletis, matrimonium considerabam sub aspecto ideali, actus coniugales putabam esse quid turpe, esthesi contrairos; hodie vero puto hoc provenisse e minus bona physica accommodatione mutua quae in hoc consistebat quod erga maritum non inclinationem seu sympathiam, sed aversionem fere sentiebam. Nullos adhibui ad amovenda ista conatus quia inutiles eos putabam.

8. Nihil tale habeo.

9. De hac re nemini locuta sunt nisi matri quae non amplius inter vivos invenitur.

10. Puto huiusmodi vitam marito meo fuisse difficulter tolerabilem. Petitioni dispensationis consentio, quia puto maritum meum habere ius ad aliam vitam.

11. Qua testes sequentes indicantur personae: 1) R. D. Josephus Zerelis, 2) R. D. Josephus Putinas, 3) Helena Dano, 4) Venceslaus Gerutis et 5) Aemilia Gerutis, 6) Vladislaus Gaido in Ragine, 7) Antonina Palys (commor. Undae, via Magna N. 5).

8) Antonina Grandi in Ragine et 9) Ioannes Nemussa in Kalnele.

12. Puto me integritate pollere et parata sum me inspectioni medicali submittere.

13. Nihil habeo addendum, post perlectam vero mihi depositionem mariti, tempus sponsalicium definio: a die 8 februarii 1905 ad diem 8 augusti 1907 ann. Asserta in depositione mariti veritati respondent. Perlectam mihi meam depositionem iuramento et subscriptione confirmo.

Maria Stankus.
Praelatus Ioannes Ganas, Iudex instructor.
Adamus Savo, defensor vinculi.
Antonius Vidmont, actuarius.

Undae, die 15. XI. 1925 *an. N.* 2617.

10. Pars conventa inspectioni corporali submittitur. Alina Zemkalnis rogatur ut inspectionem peragat.

Dominae Alinae Zemkalnis (1).

Undae, via Portus N. 12.

Infrascriptus Iudex instructor praesentibus Dominam Alinam Zemkalnis rogat, ut inspectionem corporis Dominae Mariae Stankus, in ordine ad stabiliendam veritatem de eius habilitate ad

---

(1) Ubi desunt peritae feminae inspectio mulieris ordinarie committitur obstetricibus, quae a medicis congruas instructiones recipiunt. Quod fieri solet modo sequenti. Duo medici electi et duae obstetrices necnon honesta matrona coram Tribunali comparent et praestant iuramentum de munere rite obeundo secretoque servando.

Quae ulterius sequuntur exscripsimus ex Pacifici Pierantonelli opusculo *Ordo iudiciarius in praxim traductus matrimonialium causarum* etc. t. 2, p. 71 et s.: «*a*) Medici obstetricibus instructionem in hanc sententiam dictarunt: Observate potissimum:

In uberibus utrum mammae in seipsas recollectae sint, an diffluentes, utrum papillae fusco colore perfusae, pallido-roseae sint, an labefactae livedine ac nigredine et circulo nigriusculo notatae; in genitalibus utrum labia cohaereant ac hymen illaesus sit, nec ne; qui hymenis color, crassitas, tensio ac renitentia; quae orificii hymenalis amplitudo ac capacitas cunni; hic an exsuccus sit an humidus; an ita demum constituta sint genitalia muliebria ut coitus perfici nequeat quin laedatur hymen.

b) Deinde a matrona accersiti medici et obstetrices, ad habitaculum

actus coniugales et an hucusque virgo permaneat, peragat. Maria Stankus eum in finem citata est ad comparendum die 28 no-

---

perrexerunt, ubi paratum erat balneum; et cum archiatri recognovissent undam puram quidem non tamen satis tepidam, iusserunt calidam aquam infundi usque dum 28 gradus pertingeret. Statimque iudex archiatros dimisit monitos ut die 4 sequentis martii matutina hora 11 ad episcopalem curiam accederent, iudiciale examen subituri super relatis per obstetrices et depositis. Et continuo Apolloniam Amadei natam Sani, quae in conclavi S. a matutina hora 11 praestolabatur una cum matre, ad se adduci iubet ac matronae et obstetricibus significat illam esse explorandam feminam.

c) Hisce praemissis, matrona, obstetricibus et Apollonia tantum in habitaculo corporis inspectioni destinato manentibus, moderatores actorum ad aulam tribunali assignatam reversi sunt. Triginta post temporis momenta matrona eis denuntiat actricem in alveo spasmo nervoso affectam esse. Iudex dispensavit a reliquis quindecim praescriptis balnei momentis.

d) Tunc obstetrices Adeles Auli et Aloisia Amici, a matrona dimissae, per defensorem matrimonii deductae sunt dextrorsum in attiguum cubiculum. Post decem vero momenta egressa est obstetrix Iulia Antoni: quam sacramenti tutor sinistrorsum duxit in proximum cubiculum, dum Sancta Nobili (honesta matrona) in explorationis habitaculum introduxit Adelem Auli. Postquam memorata Iulia Antoni absolutae inspectionis relationem vindici sacramenti in manus tradiderat, in haec verba scriptam: « Aetas actricis apparet 25 annorum; corporis bona habitudo; mammae duriusculae, papillae earumque circuli pallido-roseae; labia maiora pallido-rosea, minime tumefacta arcte cohaerent et perfecte occludunt minora: hymen illaesus. Diductis labiis maioribus et minoribus, conspicitur ostio lum oris levibus, quod vix penetrat extremitas digiti auricularis. Iulia Antoni, obstetrix »; et a iudice dimissa fuerat, indicta prò examine die 4 sequentis martii hora nona matutina; Adeles Auli ab habitaculo explorationis pariter egressa, sinistrorsum in praenuntiatum attiguum cubiculum, per matrimonii tutorem introducta est, dum matrona ad recognoscendum actricis corpus adduxit Aloisiam Amici. — Vix dum Adeles Auli relationem peractae inspectionis tradiderat in hanc sententiam scriptam « Actricis aetas annorum circiter 24: corporis constitutio normalis, mammae prominentes, papillae pallido-roseae, circuli rosei: nymphae maiores et minores roseae, arctissime cohaerent; membrana virginea integra, cuius in ostiolum orae levis vix immittere potui apicem digiti minimi. — Adeles Auli, obstetrix »; ac a iudice dimissa fuerat, monita ut dictum est de Adele Auli, explorationem explevit Aloisia Amici ac retulit quae sequuntur: « Aetas actricis est annorum plus minusve 25; corpus egregie constitutum; mammae recollectae; papillae pallido-rosae ut et areolae; nymphae maiores, paululum suboscurae, arctissime cohaerent, minores, pallido-roseae;

vembris a. c. hora 13, in Polyclinica Lituana, Undae, via Lata N. 15. Domina Sophia Kratutis rogata est, ut inspectioni isti

---

hymen immunis, pallido-roseus, eius ostiolum vix pervadere potuit extremitas digiti auricularis. — Aloisia Amici, obstetrix »; atque discessit, monita et ipsa de examine dicta die subeundo.

151. Huc rebus perductis, Sancta Nobili (honesta matrona) interrogata est prout sequitur:

a) Narra paucis quomodo negotium istud balnei et corporalis inspectionis executioni mandatum sit. — Statim ac habitaculum balnei ingressa est Apollonia, quam ego veste exuere adiuvi, in fontem descendit, a quo post dimidium horae egressa, paululum stetit, ut obstetrices in universum corporis eius habitum oculos coniicerent. Dein lecto, ad hoc parato, recubuit, pedibus ad fenestram versa. Obstetrices Adelem Auli et Aloisiam Amici, ex habitaculo protinus exeuntes, sacramenti vindex excepit ac dextrorsum in attiguum cubiculum in duxit, dum, clausa illico habitaculi explorationis ianua, Iulia Antoni, stragulo excusso, primum Apolloniae pectus visu et tactu perlustravit, deinde, divaricatis cruribus genitalia revisit. Genua ego sustinebam ac obstetricis actionem sequebar acie oculorum.

Recognitione absoluta, Iuliam dimisi, et matrimonii defensore sinistrorsum eam in proximum cubiculum intromittente, Adelem Auli adduxi ad inspectionem explendam; in qua tum ab obstetrice, cum a me eamet, quae prostant in recognitione a Iulia Antoni peracta, praestita sunt. Idipsum quoque servatum est in perlustratione expleta ab Aloisia Amici.

b) An et quomodo actrix recognitioni repugnavit? Non sine lacrimis, sed dociliter in omnibus obedientem se praebuit.

c) An et quibusnam de rebus obstetrices inter se aut cum Apollonia tempore balnei vel explorationis locutae sunt? — Verba quandoque fecimus durante balneo, at de rebus a negotio prorsus extraneis. In posterum autem cum Apollonia nec verbis nec nutibus aliisve signis obstetrices communicare potuerunt, quia nunquam ab illis oculos averti.

d) Balneum inter et inspectionem nonne medicamento aliquo uti mulier potuit ad arctandum vas? — Minime gentium. Nam ut alveo egressa est, obstetrices ictu oculi universum corporis eius habitum aestimarunt et continuo in lecto illam composuimus et corporalis inspectio, ut dixi, inchoata est...

Die 4 martii 1900.

152. Iulia Antoni (obstetrix) interrogata est et respondit prout sequitur:

a) Apolloniam Amadei natam Sani putasne virginitatis privilegio munitam? — Virginitatem spirat.

b) Quibusnam argumentis tua sententia innititur? — Prominentibus mammis ac potissimum angustia orificii hymenalis eiusque tensura.

qua honesta matrona assistat. Praeterea Iudex rogat Dominam Medicam Zemkalnis, ut relationem de inspectione peracta huic Tribunali mittat ante diem 1 decembris et die 5 eiusdem decem-

---

c) Utrum relata indicia certam, an probabilem tantum faciant actricis virginitatem? — Certissimam reddunt atque evidentem. Magna enim dumtaxat difficultate pulpa digiti minimi hymenale orificium penetrare potuit.

d) Quid praestitisti ne fallacibus virginitatis signis decipereris? — Tensionem praesertim orificii hymenalis, ut dixi, accurate probavi...

153. Adeles Auli ad quaestiones Iuliae Antoni propositas respondit prout sequitur:

Ad *a*): Illibato illa floret pudore. — Ad *b*): Mammis rotundis ac roseis, et potissime angusto et tenso hymenis ostiolo. — Ad *c*): Certam. Cum praesto enim sint praenuntiata virginitatis argumenta, flocci faciendus est subniger seu fuscus, qui apparet, urinae meatus. — Ad *d*): Orificii hymenalis ambitum experta sum...

154. Aloisia Amici ad quaestiones Iuliae Antoni propositas respondit prout sequitur:

Ad *a*): Virginalem pudicitiae florem custodit. — Ad *b*): Mammis in seipsas recollectis et maxime angustia et tensione hymenalis foraminis ingressum digiti auricularis praepedienti. — Ad *c*): Omnino certam. Praeterquam enim quod peremptoria sunt praenuntiata intemeratae virginitatis signa, nullum violatae indicium prostat, non omnino spernendum. — Ad *d*): de hymenalis orificii tensura potissimum certiorata sum...

155. Antonius Amori (medicus), postquam ei lectae sunt relationes et depositiones obstetricum, suppresso exploratae mulieris nomine, interrogatus est et respondit prout sequitur:

a) Aqua balnei pura ne fuit ac rite teporata? — Aqua ad balneum adhibita nullam admixtionem continebat et calefacta erat ad 28 gradus R.

b) Quid censes de actricis virginitate? — Attentis relatis ab obstetricibus et depositis minime dubito quin actrix non mulier, sed virgo sit.

c) Nonne quidpiam aliud experiendum est ad certitudinem assequendam in re tam gravi repuisitam? — Nil aliud meo quidem iudicio agendum est; quoniam obstetrices instructiones, quas eis impertiti sumus, executioni mandarunt in minimis etiam circumstantiis. Nec video quid datis instructionibus adiici queat.

156. Nicolaus Posta (medicus) ad quaestiones Antonio Amori propositas, postquam et ipsi lectae sunt relationes et depositiones obstetricum, respondit prout sequitur:

Ad *a*): Aquam balnei puram deprehendimus, teporem ad 28 gradus R. evehi iussimus. — Ad *b*): Ea, quae obstetrices consensu unanimi ad tribunal detulerant in mihi perlectis relationibus et examinibus certos nos

bris hora 11 coram eodem Tribunali compareat ad examen iudiciale in eadem causa subeundum.

Praelatus Ioannes Ganas, Iudex instructor.
Antonius Vidmont, actuarius.

Undae, die 15. XI. 1925 *an. N.* 2618.

11. Stephania Uzsuka rogatur, ut inspectionem peragat.

Dominae Stephaniae Uzsuka,
Undae, via Portus N. 12.

Infrascriptus Iudex instructor etc. ut supra.

Undae, die 15. XI. 1925 an. N. 2619.

12. Sophia Kratutis rogatur, ut inspectioni assistat.

Dominae Sophiae Kratutis.
Undae, via Lata N. 15.

Infrascriptus Iudex instructor praesentibus Dominam Sophiam Kratutis rogat, ut inspectioni corporis Mariae Stankus per Dr. Alinam Zemkalnis et Dr. Stephaniam Uzsuka die 28 novembris a. c. hora 13, in Polyclinica Lituana, Undae, via Lata N. 15, peragendae, uti honesta matrona assistat. Praeterea Iudex Dominam Kratutis rogat, ut die 5 decembris hora 11 coram eodem Tribunali compareat in ista causa depositura.

Praelatus Ioannes Ganas, Iudex instructor.
Antonius Vidmont, actuarius.

13. Protocollon inspectionis mulieris.

In Dei nomine. Amen.

Actum est Undae, via Lata N. 15, in aedibus Polyclinicae Lituanae, die 28 mensis novembris 1925 an., in causa dispensationis super matrimonium quod contenditur ratum et non consummatum inter Thomam Stankus et Mariam Valiunas. Sacerdos An-

---

reddunt de intemerata actricis virginitate. — Ad *c*): Non video, quid superaddi possit».

Nota. Iuxta *Regulas* S. C. de Sacr. n. 94, honesta matrona ultima interroganda est.

tonius Vidmont, notarius Iudicii Episcopalis Undanensis, actuarius pro ista causa, praefatam Mariam Stankus inspectioni medicali subiiciendam praesentavit ab Iudice instructore designatis peritis Alinae Zemkalnis et Stephaniae Uzsuka necnon honestae matronae Sophiae Kratutis, in ordine ad stabiliendam veritatem de eius habilitate ad actus coniugales perficiendos et an hucusque in statu virginali permaneat. Post praestitum a praefatis peritis et honesta matrona in manibus laudati actuarii iuramentum de manere fideliter obeundo secretoque servando, eaedem peritae, interveniente dicta honesta matrona, munus suum implendum singulae seorsim, una post aliam, sunt aggressae. In cuius rei fidem protocollon hoc est conscriptum et ab omnibus intervenientibus subscriptum. *Maria Stankus.*

Alina Zemkalnis, Dr. Med.
Stephania Uzsuka, Dr. Med.
Antonius Vidmont, actuarius.

14. Relatio Alinae Zemkalnis, peritae.

Rev.mo Domino Ioanni Ganas,

Iudici Instructori, Undae.

Ut litteris die 15 XI. a. c. sub N. 2617 datis satisfaciam, transmitto relationem de peracta in polyclinica Lituana die 28. XI. a. c. inspectione corporali Dominae Mariae Stankus. In inspectione gynaecologica: 1) in membris genitalibus Dominae Mariae Stankus mutationes anatomicas aut vitia structurae, quae eam redderent inhabilem ad actus coniugales, non inveni; 2) vestigia lacerationum aut cicatricum in hymene pariter non inveni: 3) hymen transitum vix minimo digito dat.

Alina Zemkalnis, Dr. Med.

Undae, die 3. XII. 1925.

15. Relatio Stephaniae Uzsuka, peritae.

Rev.mo Domino Praelato Ioanni Ganas,

Iudici Instructori, Undae.

Vigore mandati sub N. 2618 dati peracta est inspectio corporis Dominae Mariae Stankus in ordine ad explorandam eius habilitatem ad actus coniugales et an hucusque polleret integritate.

Inspectio patefecit quae sequuntur: organa urino-genitalia recta ratione sunt evoluta. Labia maiora contegunt labia minora. Vestibulum vaginae est pallidum, fossa naviculari excepta, quo in loco membrana mucosa est rubicunda. Hymen est fimbriatus cuius foramen digitum intromitti sinit. Cicatrices lacerationum absunt in hymene. Organa genitalia interna recte sunt evoluta. Quibus omnibus innixa concludo: Domina Maria Stankus est virgo, habilis ad actus coniugales.

Undae, die 3. XII. 1925.

Stephania Uzsuka, Dr. Med.

Undae, die 4. XII. 1925 *an. N.* 2832.

16. Acta mittuntur ad defensorem vinculi.

Admodum Reverendo Domino Adamo Savo, Defensori vinculi.

Infrascriptus Iudex instructor una eum hisce acta iudicialia in causa dispensationis matrimonii Stankus-Valiunas Tibi, A. R. Domine, transmittit, ut interrogatoria pro peritis et honesta matrona examini iudiciali die 5. XII. a. c., incipiendo a hora 11, subbiiciendis conficias.

Praelatus Ioannes Ganas, Iudex instructor.
Antonius Vidmont, actuarius.

Interrogatoria

17. Interrogatoria pro examine peritarum.

pro examine iudiciali peritarum in causa dispensationis matrimonii Stankus-Valiunas.

1. Generalia.

2. An peritae sit aliqua necessitudo cum muliere inspecta, vel eius marito; quo tempore et quomodo eos noverit.

3. An sub vinculo iurisiurandi confirmet per omnes partes relationem, quam de corporali muileris inspectione scripto exaravit; an in eadem relatione aliquid addendum habeat vel corrigendum vel mutandum.

4. An perita tum physicam inspectionem, tum etiam relationem seorsim ab altera perita confecerit.

5. An aliqua media, ex. gr. balneum, adhibita fuerint.

6. Qua via et ratione perita in peragenda inspectione processerit.

7. An signa, ab arte tradita, integritatis aut corruptionis mulieris inspectae invenerit; quaenam sit sententia peritae quoad virginitatem in casu.

8. Quibus potissimum argumentis sententia a perita prolata innitatur.

9. An exstet aliquod dubium fraudis, praesertim an praesidia artis medicinalis callide adhibita fuerint ad integritatem simulandum.

10. An perita animadverterit in inspectione aliquid quod influxum habere potuerit in coniugales relationes, et quidem tempore cohabitationis cum viro.

11. Quidnam perita perspexerit de generali corporis constitutione inspectae mulieris, de eiusdem temperamento et de statu psychico.

12. An et quae ab eadem muliere sciverit ad rem facientia.

13. Cuinam causae inconsummatio tribuenda sit in casu.

14. An et quaenam alia sint experienda ad veritatem detegendam.

15. An sit aliquid addendum, mutandum, corrigendum, supprimendum in depositione perlecta.

A. Savo, defensor vinculi.

18. Interrogatoria pro examine hon. matronae.

INTERROGATORIA.

pro examine iudiciali honestae matronae in causa dispensationis matrimonii Stankus-Valiunas.

1. Generalia.

2. An matrona inspectioni ininterrupte adstiterit.

3. An aliqua media ante inspectionem mulieris inspectae fuerint adhibita.

4. An peritae officium suum, servatis modestiae legibus, et iuxta normas eisdem statutas, diligenter expleverint.

5. Utrum ulla fraus aut deceptio locum habere potuerit.

6. An matrona aliquid habeat de re animadvertendum.

7. An aliquid habeat addendum.

A. Savo, defensor vinculi.

Sessio IV.

19. Protocollon examinis iudicialis peritarum et honestae matronae.

Anno Domini 1925, mense decembri, die 5, hora 11, in urbe Unda, in aedibus Curiae Dioecesanae, coram Rev.mo Domino Praelato Ioanne Ganas, Iudice subdelegato, adstantibus R. D. Adamo Savo, defensore vinculi, et infrascripto actuario, comparuerunt, in causa dispensationis matrimonii Stankus-Valiunas, ex officio designatae peritae et honesta matrona, pro hac die rite citatae.

Postulante defensore vinculi, Iudex schedam, quam idem defensor clausam exhibuerat, continentem interrogatoria, peritis et honestae matronae proponenda, reserat et statim procedit, iuxta eadem interrogatoria, ad examen earundem, quae ad singulas quaestiones respondent ex ordine ut sequitur.

1. Vocor Alina Zemkalnis, de domo Kanapinska, 33 annos nata, catholica, obligationes religiosas adimpleo, sum medica, commoror Undae, via Portus N. 12.

2. Nulla mihi necessitudo cum partibus est; Mariam Stankus primo novi in inspectione.

3. Omnia confirmo.

4. Tum inspectionem, tum relationem confeci seorsim ab altera perita.

5. Nulla media praevie adhibita fuere.

6. Inspectionem organorum genitalium externorum peregi iuxta praescripta artis medicinalis.

7. In inspectione inveni signa virginitatis penes inspectam adeoque inclinor potius ad dicendum eam esse virginem etiamsi peremptorie id affirmare non valeo.

8. Ita puto, quia absunt vestigia lacerationum aut cicatricum in hymene et quia foramen hymenis est angustum.

9. De adhibitis artis medicinalis praesidiis ad simulandam virginitatem sermo esse non potest, quia secus cicatrices manserint.

10. Nulla vitia structurae et mutationes anatomicas nullas in organis genitalibus externis inveni.

11. Nihil tale animadverti.

12. Nihil.

13. Nescio.

14. Nihil tale video.

15. Nihil. Depositionem meam mihi perlectam subscriptione confirmo.

A. Zemkalnis, Dr. Med.

Interest Stephania Uzsuka, perita.

1. Vocor Stephania Uzsuka, medica morborum chirurgicorum et femineorum, 40 annos nata, catholica, obligationes religiosas adimpleo, dego in urbe Unda, via Portus, N. 12.

2. Non noveram partes; Mariam Stankus primo cognovi occasione inspectionis eiusdem.

3. Confirmo omnia quae in relatione exposui.

4. Omnia peregi independenter ab altera perita.

5. Nihil tale locum habuit.

6. Volui explorare habilitatem inspectae ad actus coniugales et an hucusque virgo permaneat. Inspectionem peregi iuxta praescripta scientiae professionis meae.

7. Signa deflorationis non inveni adeoque puto eam esse virginem.

8. Sententia mea nititur absentia vestigiorum lacerationum hymenis. Hymen est fimbriatus ideoque puto coitum non esse possibilem sine hymenis ruptura.

9. Non.

10. Huiusmodi causas non inveni.

11. Nihil tale animadverti.

12. Nihil rescivi.

13. Nescio.

14. Nihil quod eam spectat, forte eius maritus inspectioni subiiciendus est.

15. Perlectam mihi depositionem subscriptione confirmo.

Stephania Uzsuka, Dr. Med.

Interest honesta matrona.

1. Vocor Sophia Kratutis, de domo jaunius, 34 annos nata, catholica, obligationes religiosas adimpleo, sum obstetrix, dego in urbe Unda, via Lata N. 15.

2. Inspectioni adstiti ininterrupte.

3. Nihil tale locum habuit.

4. Ita.

5. Me praesente nihil accidere potuit.

6. Nihil mihi occurrit.

7. Nihil. Perlectam mihi depositionem subscriptione confirmo.

Praelatus Ioannes Ganas, Iudex instructor.
Antonius Vidmont, actuarius.
Adamus Savo, defensor vinculi.

20. Decretum pro citatione testium septimae manus.

Die et loco ut supra post peractum examen iudiciale partis conventae Iudex instructor, audito defensore vinculi, ad examen testium septimae manus, ex utroque latere, procedendum esse decernit eosque citari mandat, ut compareant in aula sessionum Undanensis Iudicii Episcopalis die 12 decembris proximi, hora 11, nempe testes ab oratore inducti:

1) Maria-Anna Stankus, degens Varnae,
2) Adamus Stankus, degens Varnae,
3) Antonius Stankus, degens Varnae,
4) Ioannes Stankus, degens in praedio Taika.
5) Alina Stankus, degens in praedio Taika.
6) Vladislans Stankus, degens in praedio Pilaite.
7) Venceslaus Gerutis, degens in praedio Ragine.

Testes vero e latere partis conventae die 14 decembris 1925 an. hora 11, nempe:

1) R. D. Iosephus Zerelis, parochus in loco Zedele
2) R. D. Iosephus Putinas, parochus in loco Ragine
3) Helena Dano, degens in praedio Ragine
4) Aemilia Gerutis, degens in praedio Ragine
5) Vladislaus Gaido, degens in praedio Ragine
6) Alina Palys, degens Undae, via Magna N. 5.
7) Antonina Grandi, degens in praedio Ragine.

Simul Iudex nuncium dat defensori vinculi, ut tempore iusto exhibeat interrogatoria clausa et obsignata testibus utriusque partis proponenda atque ut examini eorumdem intersit.

Praelatus Ioannes Ganas, Iudex instructor.
Antonius Vidmont, actuarius.

21. Interrogatoria pro examine iud. testium.

INTERROGATORIA.

pro examine iudiciali testium septimae manus in causa dispensationis matrimonii Stankus-Valiunas.

1. Generalia.

2. An sit consanguineus vel affinis alterutri coniugum et quo gradu.

3. Quo ex tempore, qua occasione et quomodo noverit partes.

4. An perspectam habeat religionem et honestatem partium, an putet unum alterumve vera dicere solere et in examine iudiciali dixisse, an eos habeat incapaces peierandi, neque in favorem sui, et in re tam gravi de qua agitur.

5. An partes mutuo affectu sese copulaverint.

6. An post matrimonium initum partes condormierint et matrimonium consummaverint.

7. An sciat, cur hoc ita evenerit.

8. An et quid coniuges experti sint, ut impedimenta ad consummationem perficiendam amoverent.

9. An partium cohabitatio fuerit concors, qua de causa partes inter se discesserint.

10. Quanto tempore partes simul cohabitaverint et quis primus alterum deseruerit.

11. Quaenam sit fama tam apud testem, quam apud alios de asserta inconsummatione.

12. An testis noverit alios qui de re sint instructi.

13. An testis sciat, quid moverit oratorem, ut dispensationem peteret, et quando orator consilium ceperit recurrendi ad Sedem Apostolicam, quisnam oratori consilium dare potuerit vel dederit.

14. An sit possibilis partium reconciliatio.

15. An habeat aliquid addendum, variandum, supprimendum, corrigendum.

16. An asserta in partis depositione veritati respondere in omnibus censeat.

A. Savo, defensor vinculi.

Sessio V.

22. Protocollon examinis iudicialis testium ex parte oratoris.

In Dei nomine. Amen.

Anno Domini 1925, mense decembri, die 12, hora 11, in urbe Unda, in aedibus Curiae Dioecesanae, coram Rev.mo Domino Praelato Ioanne Ganas, Iudice subdelegato, adstantibus R. D. Adamo Savo, defensore vinculi, et infrascripto actuario, comparuerunt testes septimae manus in causa dispensationis matrimonii Stankus-Valiunas ab oratore inducti, pro hac die rite citati.

Iudex iusiurandum a testibus petit et accipit iuxta modum et formulam praescriptam.

Deinceps, postulante defensore vinculi, Iudex schedam, quam idem defensor clausam exhibuerat, continentem interrogatoria, testibus proponenda, reserat et statim procedit, iuxta eadem interrogatoria, ad examen testium, qui ad singulas quaestiones respondent ex ordine ut sequitur.

1. Vocor Anna-Maria Stankus, nata Uogint, 65 annorum, catholica, obligationes religiosas adimpleo, dego Varnae, via Parva Num. 2.

2. Sum noverca Thomae Stankus.

3. Novi eum inde a duobus annis eius aetatis, Mariam Valiunas cognovi paulo ante matrimonium ab ea cum meo privigno ineundum.

4. Mariam puto non fuisse religiosam usque ad 1920 annum, ab anno antem 1920 non eam vidi. Thomas Stankus credit in Deum, sed Sacramentis non utitur. Puto utrumque coniugem in Iudicio verum dixisse et puto eos esse incapaces peierandi etiam quando agitur de eorum commodo etiam in hoc casu.

5. Thomas matrimonium ex amore iniit, illa vero minime.

6. Partes videntur non condormiisse simul et matrimonium, ut puto, non consummaverunt. Hoc exinde colligo quod Maria maritum suum semper dominum vocabat; caeterum, tribus annis a matrimonio celebrato elapsis Thomas de ea re locutus est; ipsa eius verba non memoria teneo, sed intellexi commercium maritale inter eos locum non habuisse. Putabamus, ego et Tho-

mas, Mariam commercium sexuale cum alia persona habere, sed hoc falsum fuisse ipse Thomas uno anno tardius mihi dixit.

7. Puto ideo hoc contigisse, quod illa nulla agnoscebat principia et obligationes nullas et unice curam suae pulchritudinis habebat.

8. Nescio.

9. A familia audivi eum ab illa fuisse contemptum; causa separationis fuit amor Mariae erga aliquem officialem militum et levitas morum illius, hanc ob causam Thomas illam dereliquit.

10. Partes simul per 15 annos cohabitarunt; Thomas vitam communem abrupit.

11. Persuasum mihi est et alii sentiunt commercium maritale inter illos locum non habuisse.

12. De hac re edoctum esse puto Venceslaum Gerutis et famulatum nec non sacerdotem Tordo, olim parochum de Ragine.

13. Nescio.

14. Reconciliatio est impossibilis.

15. Non. Asserta in depositione Thomae in omnibus respondent veritati. Depositionem quae supra iuramento et subscriptione confirmo. Ac praestito iureiurando, subscribunt testis, iudex, defensor vinculi et actuarius.

Anna-Maria Stankus.
Praelatus Ioannes Ganas, Iudex instructor.
Adamus Savo, defensor vinculi.
Antonius Vidmont, actuarius.

Ulterior testium indagatio fit defensore vinculi absente.

Interest Vladislaus Stankus.

1. Vocor Vladislaus Stankus, agricola, 42 annos natus, catholicus, obligationes religiosas adimpleo, dego in praedio Pilaite, sub paroecia Kalnele.

2. Sum frater Thomae Stankus, filius Stanislai et Annae-Mariae Uogint.

3. Thomam novi ab infantia, Mariam autem a tempore initi ab ea matrimonii.

4. Thomas est honestus et valde honestus, sed obligationes religiosas negligit, Mariam parum cognosco. Persuasum mihi est

utramque partem verum in Iudicio dixisse et ambo sunt incapaces peierandi etiam in hoc casu.

5. Thomas magno videtur amore erga illam incensus fuisse, de Maria autem nescio.

6. Nescio, sed Theophilus Zalutys, qui in praedio Budry commoratur, collega eius in universitate, adhuc ante ortum bellum mundanum mihi dixit Mariam esse in statu virginitatis.

7. Nescio.

8. Nescio.

9. Cohabitatio partium fuit discors, frater querebatur de infelici convictu. Nescio, qua de causa finaliter inter se discesserint.

10 Partes cohabitarunt simul a matrimonio celebrato usque ad 1924 annum. Thomas vitam communem abrupit.

11. Nescio.

12. De hac re forte edoctus est Vladislaus Gaido.

13. Puto vitam infelicem cum Maria fuisse causam captae a Thoma decisionis. Nescio quando et cuius consilio causa haec fuerit intentata.

14. Reconciliatio mihi videtur esse impossibilis.

15. Pater noster multum huic foederi coniugali ineundo adversabatur.

16. Asserta in depositione Thomae veritati respondent. Perlectam mihi meam depositionem iuramento et subscriptione confirmo.

Vladislaus Stankus.

Interest Antonius Stankus.

1. Vocor Antonius Stankus, sum applicans iuris in Iudicio, catholicus, obligationes religiosas adimpleo, 40 annos natus, dego Varnae, via Parva N. 2.

2. Sum frater germanus Thomae.

3. Mariam cognovi uno vel duobus annis ante eius matrimonium.

4. Thomas est honestus, sed indifferens quoad obligationes religiosas, ecclesiam frequentat. Maria est honesta, sed eius religiositatem non novi. Utraque pars videtur verum in Iudicio dixisse et peierandi incapax etiam in hoc casu.

5. Thomas ita, de illa nescio.

6. Nescio.

7. Nescio.

8. Nescio.

9. Tempora concordis eorum convictus fuerunt, sed in genere matrimonium hoc fuit infaustum. Scio Thomam incidisse in amorem erga aliquam puellam, Maria pariter suos habet adoratores.

10. Partes simul cohabitarunt a matrimonio celebrato usque ad 1924 annum; Thomas primus vitam communem abrupit.

11. Nescio.

12. De hac re edoctus esse videtur Vladislaus Gaido et Venceslaus Gerutis.

13. Vita impossibilis cum Maria et amor erga aliam personam causa fuit captae a Thoma decisionis.

14. Non.

15. Thomas fuit ab uxore sua contemptus.

16. Puto asserta in depositione Thomae respondere veritati. Perlectam meam depositionem qua meam agnosco eamque iuramento et subscriptione confirmo.

Antonius Stankus.

Interest Alina-Sophia Stankus.

1. Vocor Alina-Sophia Stankus, de domo Manta, 42 annos nata, obligationes religiosas adimpleo, dego in praedio Taika, sub paroecia Kalnele.

2. Sum uxor fratris Thomae.

3. Thomam cognovi 12 aetatis meae anno, Mariam autem 1918 vel 1919 an.

4. Thomam puto esse virum honestum, sed raro eum video, tamen parum est religiosus. Puto utramque partem verum in Iudicio dixisse et non censeo eos peierandi capaces etiam in hoc casu.

5. Thomas dicitur ex amore matrimonium iniisse, de Maria autem varie homines locuti sunt, potius sine amore ipsa nupsit.

6. Semper audivi eos non cubasse simul eorumque matrimonium mansisse inconsummatum; ex. gr. duos annos abhinc Aemi-

lia Gerutis mihi dixit a Maria sibi dictum fuisse, pactum ante celebrandum matrimonium initum fuisse, ut actus coniugales cum marito non esset habitura; Thomas duos vel tres annos abhinc dixit marito meo (non recordor si ego praesens fui) Mariam numquam sibi uxorem fuisse.

7. Nescio.

8. Nescio.

9. Vita istorum coniugum fuit discors propter zelotypiam Thomae; videbatur aliquis Mariae placere.

10. Partes simul cohabitarunt usque ad 1922 vel 1923 annum; Thomas uxorem dereliquit.

11. Puto eorum matrimonium mansisse inconsummatum.

12. Nescio.

13. Nescio.

14. Dubito.

15. Nihil.

16. Asserta in depositione Thomae respondent veritati. Perlectam meam mihi depositionem pro mea agnosco eamque iuramento et subscriptione confirmo.

Alina-Sophia Stankus.

Interest Venceslaus Gerutis.

1. Vocor Venceslaus Gerutis, sum agricola, 44 annos natus, catholicae fidei; obligationes religiosas adimpleo, dego in praedio Ragine.

2. Non sum consanguineus partibus.

3. Thomam cognovi 20 annos abhinc, Mariam autem novi ab eius infantia.

4. Thomas est valde honestus, ecclesiam frequentat, sed nescio, utrum sacramentis utatur. Item dicere possum quoad Mariam. Persuasum mihi est utramque partem in Iudicio verum dixisse et esse incapacem peierandi in quocumque casu.

5. Matrimonium inierunt ex amore.

6. Illi cubarunt in cubiculis separatis. Ex eis quae ab utraque parte et Mariae matre (quae non amplius vivit) audivi persuasum habeo eorum matrimonium mansisse inconsummatum.

Haec mea sententia nititur continuis colloquiis necnon frequentibus et intimis conversationibus cum partibus, ipse eas, praesertim Mariam, ad vitam maritalem inducere conatus sum.

7. Maria interrogata aliquot annis post nuptias celebratas, cur prolem non haberet, respondit, ante matrimonium ineumdum stipulatum fuisse, ut numquam uxor Thomae futura esset.

8. Thomas saepe uxorem ad commercium coniugale exhortatus est.

9. Eorum cohabitatio fuit concors. Causa eorum separationis est amor Mariae erga aliam personam.

10. Partes simul cohabitarunt usque ad 1924 annum. Thomas primus uxorem dereliquit.

11. Persuasum mihi est eorum matrimonium mansisse inconsummatum; aliorum opinio mihi ignota est.

12. De hac re bene edocta est mea soror Aemilia Gerutis et Maria Palelis, quae Undae, via Turris N. 6, commoratur.

13. Scio Thomam in alius personae amorem incidisse. Ad reliqua — Nescio.

14. Eorum reconciliatio est impossibilis.

15. Nihil.

16. Asserta in depositione Thomae veritati respondent. Nihil habeo addendum, perlectam mihi depositionem uti meam agnosco eamque iuramento et subscriptione confirmo.

Venceslaus Gerutis.

Interest Ioannes-Eustachius Stankus.

1. Vocor Ioannes-Eustachius Stankus, sum agricola, 47 annos natus, catholicus, obligationes religiosas adimpleo, dego in praedio Taika, sub paroecia Kalnelės.

2. Sum frater Thomae.

3. Mariam cognovi duos circiter annos ante eius matrimonium.

4. Thomas est honestus, credit in Deum, sed nescio., an obligationes religiosas adimpleat. Mariam non novi bene. Puto utramque partem verum dixisse in Iudicio et esse incapacem peierandi in quocumque casu.

5. Frater matrimonium iniit ex amore, de illa vero nescio.

6. Nescio.

7. Nescio.

8. Nescio.

9. Lites inter eos minime exstiterunt, nescio, cur inter se discesserint.

10. Partes simul cohabitarunt usque ad 1924 annum. Thomas uxorem dereliquit.

11. Fama communis est matrimonium hoc mansisse inconsummatum, id mihi dixit ipse frater adhuc ante ortum bellum.

12. Puto de hac re optime instructum esse Venceslaum Gerutis.

13. Nescio.

14. Reconciliatio eorum impossibilis est.

15. Asserta in depositione Thomae in omnibus veritati respondent. Perlectam mihi meam depositionem uti meam agnosco eamque iuramento et subscriptione confirmo.

Ioannes-Eustachius Stankus.

Praelatus Ioannes Ganas, Iudex instructor.

Antonius Vidmont, actuarius.

Adamus Stankus propter infirmitatem filii in Iudicio non comparuit, orator autem, qui id Iudicio nuntiavit, ei qua testi renuntiat eique substitui rogat Mariam Palelis, quae Undae, via Turris N. 6, **habitat.**

Undae, die 12 decembris 1925.

Antonius Vidmont, actuarius.

Die 12 decembris 1925, in aedibus Iudicii Episcopalis Undanensis, idem Iudex subdelegatus, adstante eodem actuario, in eadem causa, examini iudiciali subiecit uti testem sequentem personam quae post praestitum iuramentum deposuit ut sequitur.

1. Vocor Maria Palelis, de domo Gerutis, 43 annos nata, catholica, obligationes religiosas adimpleo, dego Undae, via Turris Num. 6.

2. Non.

3. Thomam Stankus cognovi quando iam sponsus erat, Mariam autem cognosco ab eius infantia.

4. Utraque pars est honesta, de earum religiositate nescio. Utraque pars in Iudicio verum dixit, periurium patrare non potuit.

5. Ex amore.

6 et 7. Partes cubarunt separatim, matrimonium non consummarunt, quod scio a Thoma qui id mihi dixit tres annos abhinc. Maria habuit aversionem a Thoma. Ante matrimonium celebrandum stipulatum fuit, quod commercium coniugale inter eos locum habiturum non esset.

8. Nescio.

9. Vita eorum specietenus fuit concors, sed ordini consueto contrarius eorum convictus fuit causa separationis.

10. Partes cohabitarunt usque ad 1925 annum; nescio, quis vitam communem abruperit.

11. Persuasum habeo eorum matrimonium mansisse inconsummatum; alii idem sentiunt.

12. Causam hanc cognoscunt bene meus frater Venceslaus et soror Aemilia.

13. Utraque pars id optat propter insolitum convictum.

14. Non.

15. Nihil.

16. Nihil habeo addendum, perlectam vero mihi depositionem meam iuramento ed subscriptione confirmo.

Ac praestito iureiurando, subscribunt testis, iudex et actuarius.

Maria Palelis.

Praelatus Ioannes Ganas, Iudex instructor.

Antonius Vidmont, actuarius.

Sessio VI.

23. Protocollon examinis iudic. testium e latere partis conventae.

In Dei nomine. Amen.

Anno Domini 1925, mense decembri, die 14, hora 11, in urbe Unda, in aedibus Curiae Dioecesanae, coram Rev.mo Praelato Ioanne Ganas, Iudice subdelegato, adstantibus R. D. Adamo Savo, defensore vinculi, et infrascripto actuario, comparuerunt testes

septimae manus in causa dispensationis matrimonii Stankus-Valiunas, a parte conventa inducti et pro hac die rite citati.

Iudex iusiurandum a testibus petit et accipit iuxta modum et formulam praescriptam.

Deinceps, postulante defensore vinculi, Iudex schedam, quam idem defensor clausam exhibuerat, continentem interrogatoria, testibus proponenda, reserat et statim procedit, iuxta eadem interrogatoria, ad examen testium, qui ad singulas quaestiones respondent ex ordine ut sequitur.

Interest Alina Palys.

1. Vocor Alina Palys, sum scriba in Iudicio districtus, 51 annos nata, cathoilca, obligationes religiosas adimpleo, dego Undae, via Magna N. 5.

2. Sum affinis Mariae Stankus et aliena a Thoma Stankus.

3. Thomam Stankus semel tantum vidi, Mariam autem novi ab eius infantia.

4. Thomam Stankus non novi, Mariam autem noveram usque ad 1904 annum uti honestam et religiosam puellam; ex illo tempore non eam amplius vidi. Puto Mariam esse veracem et periurium committere non potuisse.

5. Nescio.

6. Nescio.

7. Nescio

8. Nescio

9. Nescio.

10. Nescio.

11. Nescio.

12. Nescio.

13. Nescio.

14. Nescio.

15. Nihil.

16. Nihil habeo addendum, perlectam mihi meam depositionem iuramento et subscriptione confirmo.

Alina Palys.

Interest Helena Dano.

1. Vocor Helena Dano, de domo Jonynas, rei domesticae gerendae operam do, catholica, obligationes religiosas adimpleo, dego in praedio Ragine.

2. Sum consanguinea in secundo gradu Mariae Stankus, a Thoma Stankus sum aliena.

3. Mariam Novi ab infantia, Thomam tantummodo ab eius nuptiis.

4. Utraque pars est admodum honesta et ecclesiam frequentat. Persuasum mihi est utramque partem in Iudicio verum dixisse et esse incapacem peierandi in quocumque casu.

5. In quantum scio, partes matrimonium ex amore inierunt; solummodo Maria post matrimonium initum mihi aliquoties dixit a se ante istud foedus coniugale celebrandum esse stipulatum, ne commercium coniugale cum marito esset habitura.

6. Illi cubarunt separatim et Maria saepe mihi est locuta se non habuisse cum marito commercium coniugale; valde saepe cum ea sum conversata.

7. Illa actum coniugalem pro re turpi habebat.

8. Audivi ita esse, sed non recordor, quis mihi hoc dixerit.

9. Convictus partium fuit maiore ex parte concors, discesserunt coniuges inter se, ut puto, propter amorem Mariae ad tertiam personam.

10. Illi discesserunt inter se anno currenti tempore verno.

11. Persuasum habeo eorum matrimonium mansisse inconsummatum; idem sentiunt mei noti.

12. Non novi tales personas.

13. Thomas causam proposuit propter amorem Mariae erga tertiam personam. Ad reliqua — nescio.

14. Reconciliatio est impossibilis.

15. Nihil.

16. Asserta in depositione Mariae in omnibus veritati respondent. Perlectam mihi depositionem uti meam agnosco eamque iuramento et subscriptione confirmo.

Helena Dano.

Interest R. D. Iosephus Putinas.

1. Vocor Iosephus Putinas, sum parochus in Ragine, 36 annos natus, dego in Ragine.

2. Non sum consanguineus partibus.

3. Thomam Stankus cognovi mense iunio 1924 an., Mariam autem mense augusto eiusdem anni.

4. Per tres menses quibus Thomas Stankus in Ragine commoratus est neque una vice ecclesiam intravit, sed est homo honestus. Maria a mense augusto 1924, usque ad hodiernam diem quinquies in ecclesia fuit, est persona pariter honesta. Thomas non potuit in Iudicio dicere mendacium, de Maria nescio. Puto utramque partem esse incapacem peierandi etiam in hoc casu.

5. Nescio.

6. Nescio.

7. Nescio

8. Nescio

9. Eorum vita fuit discors, in quantum audivi. Puto Thomam dereliquisse uxorem propter huius amorem erga tertiam personam.

10. Partes simul cohabitarunt usque ad 1924 annum. Thomas vitam communem abrupit.

11. Nescio.

12. Non novi huiusmodi personas.

13. Ut puto, propter amorem Mariae erga tertiam personam. Ad reliqua — nescio.

14. Reconciliatio est impossibilis.

15. Nihil.

16. Puto asserta in depositione Mariae veritati respondere. Perlectam mihi meam depositionem uti meam agnosco eamque iuramento et subscriptione confirmo.

Sacerdos Iosephus Putinas, parochus de Ragine.

Interest Vladislaus Gaido.

1. Vocor Vladislaus Gaido, sum administrator praedii Ragine, 67 annos natus, catholicus, obligationes religiosas adimpleo, dego in Ragine.

2. Non.

3. Partes novi 18 annos, ex quo scilicet administrationem praedii Ragine suscepi.

4. Utraque pars est omnimode honesta, sed indifferens religioso sub respectu. In Iudicio, sine dubio, utraque verum dixit et est incapax peierandi etiam in hoc casu.

5. Nescio.

6. Partes cubarunt separatim; commercium maritale inter eos locum non habuit.

7. Nescio.

8. Nescio.

9. Convictus partium fuit concors. Ad reliqua — nescio.

10. Partes inter se discesserunt anno currenti tempore verno quo Thomas praedium Ragine dereliquit.

11. Persuasum mihi est eorum matrimonium mansisse inconsummatum; idem alii sentiunt.

12. Non novi tales personas.

13. Nescio.

14. Reconciliatio est impossibilis.

15. Nihil.

16. Asserta in depositione Mariae in omnibus veritati respondent. Perlectam meam depositionem uti meam agnosco eamque iuramento et subscriptione confirmo.

Vladislaus Gaido.

Interest Aemilia Gerutis.

1. Vocor Aemilia Gerutis, rei domesticae gerendae operam do, 47 annos nata, catholica, dego in praedio Ragine.

2. Non.

3. Mariam novi ab eius infantia, Thomam vero cognovi iam sponsum.

4. Utraque pars est omnimode honesta, frequentat ecclesiam, tamen nescio, an utatur Sacramentis. Persuasum habeo utramque partem in Iudicio verum dixisse et minime peierasse.

5. Partes ex amore matrimonium inierunt.

6. Partes non simul cubarunt et a Maria tres annos abhinc audivi commercium coniugale inter eas locum non habuisse; Mariam ad operam officiis coniugalibus dandam inducere conata sum.

7. Nescio.

8. Nescio.

9 et 10. Vita eorum erat concors iique, ut puto, inter se discesserunt eo quod Maria in officia coniugalia non consenserat, unum annum circiter abhinc, quando Thomas, uti a fratre meo Venceslao Gerutis audivi, vitam communem abrupit.

11. Persuasum habeo eorum matrimonium mansisse inconsummatum; idem alii sentiunt.

12. Fere omnes in vicinia id noverant.

13. Nescio.

14. Pro certo impossibilis.

15. Nihil.

16. Asserta in depositione Mariae veritati respondent. Perlectam mihi meam depositionem pro mea agnosco eamque iuramento et subscriptione confirmo.

Aemilia Gerutis.

Interest Antonina Grandi.

1. Vocor Antonina Grandi, ludimagistra in Ragine, 37 annos nata, catholica, obligationes religiosas adimpleo.

2. Non.

3. Partes cognovi anno 1919 quando veni Raginen munus ludimagistrae obitura.

4. Utraque pars est honesta, earum religiositatem definire non possum, utraque pars frequentat ecclesiam. Utraque pars in Iudicio verum dixit et puto utramque partem peierandi esse incapacem.

5. Nescio.

6. Partes cubarunt separatim; a vicinis audivi earum matrimonium mansisse inconsummatum; fama palam est.

7. Nescio.

8. Nescio.

9. Earum convictus fuit concors, nescio, cur partes inter se discesserint.

10. Partes videntur habitasse simul usque ad autumnum 1924 anni.

11. Cum utramque partem cognoscam persuasum habeo

earum matrimonium mansisse inconsummatum; alii idem de hac re sentiunt.

12. Nescio.

13. Nescio.

14. Non.

15. Asserta in perlecta mihi depositione Mariae veritati respondent. Perlectam meam mihi depositionem iuramento et subscriptione confirmo.

Antonina Grandi.

Praelatus Ioannes Ganas, Iudex instructor.
Adamus Savo, defensor vinculi.
Antonius Vidmont, actuarius.

Septimus testis R. D. Iosephus Zerelis hodie non comparuit adeoque citatus est iterum, ad comparendum die 9 ianuarii 1926 an.

Antonius Vidmont, actuarius.

Sessio VII.

In Dei nomine. Amen.

Anno Domini 1925, mense ianuario, die 9, hora 11, in urbe Unda . . . . . ut sequitur.

1. Vocor Iosephus Zerelis, sum parochus in Kalnele, 52 annos natus.

2. Non.

3. Thomam Stankus cognovi anno 1921, uxorem autem eius Mariam parum novi, semel eam vidi.

4. Fama communis fert Thomam esse hominem honestum, Mariam autem populus, eo quod semper in comitatu militarium appareat, in malam partem iudicat, ego vero frequentationem eius domus derogationem meae dignitatis esse putarem. Thomas fertur in Deum non credere, sed propter bonam educationem publice religionem non impugnat. Maria aliquoties per annum venit in ecclesiam et suo modo agendi aliis est exemplo eamque puto esse religiosam. Thomam puto in Iudicio verum dixisse quia excellet

veracitate. De Maria nihil dicere possum. Etiam in hac causa Thomam puto verum dixisse, de illa vero nescio.

5. Thomas ex amore, de illa vero nescio.

6. Nescio, sed anno elapso vel duos annos abhinc sacerdos Petrus Markus, qui illo tempore parochus in Renida erat, dixit mihi se audivisse, verisimilius ab Aemilia Gerutis, Mariam esse locutam: « Marito meo Thomae nihil inopinati accidit, quia ante matrimonium a me stipulatum fuit non me esse futuram eius uxorem stricto huius vocis sensu ».

7. Nescio.

8. Nescio.

9. Quomodo res se habuerint antea nescio, sed inde ab anno 1921 eorum convictus est valde discors, ii se mutuo evitant. Ad reliqua nescio. Die onomastica Thomae vel saltem mense decembri duos annos abhinc, quando multi hospites, praecipue sexus masculini, in Ragine erant, magna fertur orta fuisse dissensio, igniarii in manibus erant. Ex illo tempore Thomas non amplius illo venit.

10. Respondi supra.

11. Communitas hominum non valde credit illam virginem mansisse intactam ex suo convictu cum marito; quid tamen heic sit veri, nescio.

12. Sacerdos Felix Torto, parochus illo tempore in Ragine, nunc autem in Kasa, optime de hac re edoctus esse videtur.

13. Thomas novum matrimonium inire fertur velle, Maria novas nuptias desiderare. Ad reliqua nescio.

14. Reconciliatio est impossibilis.

15. Nihil habeo.

16. An asserta in depositione Mariae veritati respondeant, nescio; sed non mihi est intelligibile, quomodo illa ex amore nubere potuit et simul inclinationem seu sympathiam physicam erga maritum non habuit. Perlectam mihi meam depositionem pro mea agnosco eamque iuramento et subscriptione confirmo.

Iosephus Zerelis, parochus in Kalnele.

Testis statim addidit prout sequitur: Si in hoc casu dispensationem coniuges obtinerent, populus loci persuasum haberet

commercium coniugale inter eos locum habuisse saltem primis cohabitationis annis et dispensationem sibi pecunia comparasse; si essem parochus in Ragine, non auderem per longius tempus ex sacro suggestu sermonem habere de matrimonii indissolubilitate; et si haberem, non mihi crederetur. Ea quae supra iuramento et subscriptione confirmo.

Iosephus Zerelis, parochus in Kalnele.
Praelatus Ioannes Ganas, Iudex instructor.
Adamus Savo, defensor vinculi.
Antonius Vidmont, actuarius.

24. Notitiae de religione et veracitate partium et testium.

Undae, die 8. XII. 1925 *an. N.* 2877.

Excellentissimo Domino Episcopo Gintarensi.

Cum ex facultate S. Congregationis de disciplina Sacramentorum diei 15 iulii 1925 N. 3992 et ex subdelegatione Rev.mi Ordinarii huius Undanensis dioeceseos, in hoc Tribunali instruatur causa super asserta inconsummatione matrimonii initi inter Thomam Stankus et Mariam Valiunas et causis imploratae Apostolicae dispensationis instante praefato viro, infrascriptus Iudex instructor Excelletiam Tuam Reverendissimam rogat, ut notitias de religione et honestate oratoris qui in praedio Parva Residentia, sub paroecia Raudone habitat, per parochum loci colligendas curare dignetur et huic Tribunali significare.

Praelatus Ioannes Ganas, Iudex instructor.
Antonius Vidmont, actuarius.

Curia Dioecesana Gintarensis
N. 1435/725/62.

Excelso Iudicio Episcopali Undanensi.

Ad litteras diei 8. XII. 1925 an. N. 2877, respondens, Iudicium Episcopale nuntiat se non posse quidquam definire, quia iuxta percontationes peractas, iste dominus in Parva Residentia non commoratur.

Praelatus I. Morini, Officialis.
Ludovicus Regione, Notarius.

Hisce testificor Dominum Thomam Stankus esse hominem honestum et fide dignum.

Undae, die 22 aprilis 1926 an.

L. ✠ S.

Ioannes Adata, Rector Seminarii dioecesani.

II. *Undae die* 8. XII. 1925 *an. N.* 2878.

Reverendo Domino Parocho in Ragine.

Cum ex facultate . . . . . Iudex instructor Tibi, R. Domine, mandat, ut pro pastoralis Tui officii sanctitate et sollicitudine, ad rem accurate sub secreto inquiras et distincte huic Tribunali significes notitias de religione et honestate praefatae Mariae Stankus ac testium qui inducuntur, nempe Vladislai Gaido et Antoninae Grandi, videlicet: an praecepta religionis adimpleant, an bonis moribus sint imbuti, qua fama gaudeant et an eis credi debeat, etiam cum deponant de rebus quae ipsorum intersint, seu circa assertam matrimonii inconsummationem.

Praelatus Ioannes Ganas, Iudex instructor.
Antonius Vidmont, actuarius.

Undam, in Curiam Episcopalem.

Illustrissimo Iudici Instructori.

Praesentibus testificor Mariam Stankus, in quantum cognosco, esse personam honestam, veracem, sed indifferentem religioso sub respectu. Vladislaus Gaido est vir honestus, verax, obligationes religiosas adimplet, ecclesiam frequentat et confessionem sacramentalem peragit. Item dicendum esse puto de Antonina Grandi.

Datum in Ragine, die 4. I. 1926. N. 3.

L. ✠ S.

Sacerdos Iosephus Putinas, parochus.

III.

Excelso Iudicio Episcopali Undanensi.

Ut ad litteras diei 11. XII. a. c. N. 2914, in causa dispensationis matrimonii Stankus-Valiunas, respondeam, honori mihi duco nuntiare Ioannem, Alinam et Vladislaum Stankus, testes in ista causa, esse citra omne dubium religiosos, obligationes religiosas adimplere, honestate excellere ideoque fide dignos esse.

Datum in Kalnele, die 15. XII. 1925 a. N. 357.

L. ✠ S.

Iosephus Zerelis, parochus.

IV. — Litteris Iudicii Episcopalis die 23. XII. a. c. sub N. 3032, in causa matrimonii Stankus-Valiunas respondens, honori mihi duco nuntiare Mariam Palelis de domo Gerutis, testem in ista causa, personaliter mihi aliquatenus esse notam qua personam religiosam et honestam; collectae a me per personas fide dignas notitiae id confirmant.

Undae, die 29. XII. 1925.

Antonius Vencius, Parochus eccl. S. Ioannis.

V. — Ut mandato Ill.mi Iudicis diei 9. I. 1926 an obsecundem, honori mihi duco nuntiare Mariam-Annam Stankus, Antonium Stankus et Adamum Stankus esse, secundum opinionem personarum fide dignarum, personas religiosas, honestas et veraces.

Datum Varnae, die 10. III. 1926, N. 311.

L. ✠ S.

Ioannes Kasprzycki, eccl. S. Crucis parochus.

25. Declaratio oratoris.

Excelso Iudicio Episcopali Undanensi.

Ego infrascriptus mea ex parte nihil habeo addendum in mea causa matrimoniali et enixe rogo, ut acta eiusdem causae pro posse citius Sedi Apostolicae mittantur in ordine ad impetrandam dispensationem.

Datum in praedio Parva Residentia, die 18. III. 1926.

Thomas Stankus.

Illustrissimo Iudicio Episcopali Undanensi.

26. Declaratio partis conventae.

Mariae Stankus, commorantis in Ragine,

Supplex libellus.

Praesentibus declaro me nihil habere addendum in mea causa dispensationis super matrimonio rato et non consummato et Illustrissimum Iudicium rogo, ut causam istam quam citius absolvere dignetur.

Ragine, die 25. III. 1926 an.

Maria Stankus.

Undae, die 27. III. 1926 *an. N.* 904.

27. Exquiritur votum defensoris vinculi et animadversiones.

Infrascriptus Iudex instructor acta in causa dispensationis matrimonii Stankus-Valiunas Tibi, A. R. Domine, transmittit, ut votum Tuum des ante processus in ista causa conclusionem. Et si nihil Tibi amplius inquirendum superesse videatur, animadversiones Tuas super processus instructione conficias votumque Tuum des ad normam canonis 1985 Codicis Iuris Canonici et nr. 98 *Regularum* S. Congreg. de disciplina Sacramentorum diei 7 maii 1923. Acta huic Tribunali remittas oportet ante diem 12 aprilis proximi.

Praelatus Ioannes Ganas, Iudex instructor.
Antonius Vidmont, actuarius.

Illustrissime ac Reverendissime Iudex.

28. Animadversiones et votum defensoris vinc.

Adhuc in causa dispensationis matrimonii Stankus-Valiunas per parochos explorandi sunt qui famuli et famulae partium primis annis post matrimonium contractum in casu fuerint et ad depositiones iudiciales faciendas vocandi sunt.

Ex hucusque comparatis hoc in processu haec sunt quae obtinendae dispensationi super matrimonium Stankus-Valiunas ratum et praetensum non consummatum obstant.

1. Coniuges in casu impulsi mutuo amore matrimonium inierunt et simul per tot annos cohabitarunt.

2. Peritae solum coniecturant partem conventam virginem permansisse, absolute vero affirmare non possunt.

3. Partes Ecclesiae catholicae solummodo adscriptae sunt. Pars conventa est irreligiosa et suus testis parochus Iosephus Zerelis frequentationem domus eiusdem partis sibi esse derogationem aestimat. Orator officia religionis suae non adimplet et secundum testificationem parochi Zerelis, qui ex parocho proprio eiusdem oratoris scit, dictus orator ideo tantum religionem publice non impugnat, quia bene educatus est. Idem testis asserit oratorem in Iudicio verum dixisse; attamen tempore examinis iudicialis dixit (quod non est in Actis relatum): magis ei crederem si dixisset non sub iuramento, sed sub verbo nobili.

4. Testis R. D. Zerelis deponit gravia quae sequuntur: « Si in casu coniuges dispensationem obtinerent, loci incolae persuasum haberent inter coniuges saltem primis annis cohabitationis actus coniugales locum habuisse et dispensationem eosdem sibi pecunia comparasse. Ego ipse si parochus in Ragine essem, per longius tempus non auderem de suggestu sacro de matrimonii indissolubilitate praedicare. Si vero praedicarem, non mihi crederent ».

Adamus Savo, defensor vinculi.

29. Decretum pro processus conclusione.

In processu super matrimonio quod contenditur ratum et non consummatum inter Thomam Stankus et Mariam Valiunas, perpensis omnibus actis, partium, testium ac peritarum relationibus et depositionibus cum causa, attentis personarum ac rerum adiunctis satis instructa sit, Iudex decernit clausam esse instructionem processus, et omnia acta, in authentico exemplari, una cum voto scripto Ill.mi ac. Rev.mi Ordinarii loci transmittenda esse ad S. Congregationem de disciplina Sacramentorum.

Ex aedibus Curiae Dioecesanae Undanensis die 24 aprilis 1926.

L. ✠ S.

Praelatus Ioannes Ganas, Iudex.
Antonius Vidmont, actuarius.

30. Exemplar actorum authenticum declaratur.

Facta collatione praesentis actorum exemplaris cum omnibus actis et documentis originalibus exsistentibus in archivo huius Undanensis Iudicii Episcopalis, testor infrascriptus constare de fideli versione, transcriptione et integritate eiusdem exemplaris, quod transmittitur ad Sacram Congregationem de disciplina Sacramentorum.

Datum Undae, ex aedibus Curiae Dioecesanae, die 26 aprilis 1926.

In fidem.

L. ✠ S.

Praelatus Ioannes Ganas, Iudex.
Antonius Vidmont, actuarius.

Eminentissime ac Reverendissime Domine.

Die 8 augusti 1907, inter Thomam Stankus, caelibem, tunc 28 annum agentem, et Mariam Valiunas, virginem, tunc 19 annos natam, in capella in Ragine, sita in paroecia eiusdem nominis, dioecesis Undanensis, matrimonium rite contractum est. Quae nuptiae, non ex amore ex parte Mariae Valiunas celebratae, infelices fuere. Coniuges, post vitam communem, a foedere isto coniugali inito usque ad 1924 annum, peractam, matrimonium suum minime, uti asserunt, consummarunt et inter se discesserunt. Thomas Stankus supplicem libellum diei 12 iunii 1925, uxore consentiente, ad Beatissimum Patrem misit in ordine ad implorandam dispensationem super matrimonio suo utpote rato et non consummato.

Vi rescripti S. Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 15 iulii 1925 (Num. Protoc. 3992/25) dati, in hac Curia Dioecesana confectus est canonicus processus super asserta non consummatione dicti matrimonii et causis dispensationis.

Tam confessiones partium quam experimentum a peritis peractum et depositiones testium septimae manus ex utroque latere inductorum, matrimonii de quo agitur inconsummationem extra dubium ponere videntur. Altera vero ex parte, nulla affulget spes adducendi coniuges ad convictus restitutionem, quin imo, pars conventa aversionem erga maritum suum physicam se sentire asserit, et periculum incontinentiae utrique imminere dicendum est.

Quae cum ita sint, pastoralis officii mei esse duco preces oratoris clementissimae benignitati Eminentiae Tuae magnopere commendare, ut infaustum hoc matrimonium Beatissimo Patri pro elargienda petita dispensatione praesentare dignetur.

Acta iudicialia in authentico exemplari dum una cum hisce transmitto, sacram Purpuram reverenter deosculor.

Datum Undae, ex Curia Dioecesana, die 26 aprilis 1926.

EMINENTISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI
ADDICTISSIMUS FAMULUS.

L. ✠ S.

† *Ioannes Matala,* Episcopus Undanensis.
Alexander Vilionis, Cancellarius.

Em.mo ac Rev.mo Domino
Domino Cardinali Praefecto
S. Congregationis de disciplina
Sacramentorum, Romam.

INDEX

actorum et documentorum specimínis tertii.

NUM.		PAG.
1.	Constitutio Tribunalis subdelegati	197-198
2.	Litterae delegationis S. Congregat. de Sacramenti . .	199
3.	Actus subdelegationis Rev.mi Ordinarii Undanen. . . .	199-200
4.	Supplex libellus Thomae Stukus, oratoris	200-201
5.	Interrogatoria pro examine iudiciali oratoris	201
6.	Protocollon examinis iudicialis oratoris	202-204
7.	Decretum pro citatione partis conventae	204
8.	Interrogatoria pro examine iudiciali partis conv. . .	204-205
9.	Protocollon examinis iudicialis partis conventae . . .	205-207
10.	Alina Zemkalnis monetur de inspectione peragenda . .	207-211
11.	Stephania Uzsuka monetur de inspectione peragenda . .	211
12.	Sophia Kratutis, honesta matrona mon. de insp. perag. . .	211
13.	Protocollon inspectionis corporis partis conventae . .	211-212
14.	Relatio Alinae Zemkalnis, peritae	212
15.	Relatio Stephaniae Uzsuka, peritae	212-213
16.	Acta mittuntur ad defensorem vinculi	213
17.	Interrogatoria pro examine peritarum	213-214
18.	Interrogatoria pro examine honestae metronae . . .	214
19.	Protocollun examinis iudic. peritarum et honestae matr. .	215-217
20.	Decretum pro citatione testium septimae manus . . .	217
21.	Interrogatoria pro examine iud. testium manus . . .	218
22.	Protocollon examinis testium ex parte oratoris . . .	219-226
23.	Protocollon examinis testium e latere partis conventae .	226-234
24.	Notitiae de religione et veracitate partium et testium . .	234-236
25.	Declaratio oratoris ante processus conclusionem . . .	236
26.	Declaratio partis conventae ante processus conclusionem .	237
27.	Exquiritur votum defensoris vinculi ante conclusionem .	237
28.	Votum defensoris vinculi eiusque animadversiones . .	237-238
29.	Decretum pro processus conclusione	238
30.	Testificatio ed authenticitate exemplaris actorum . . .	239
31.	Votum Rev.mi Ordinarii loci	239-240

TRACTATUS CANONICUS

DE

MATRIMONIO RATO ET NON CONSUMMATO

CUM SPECIMINIBUS CAUSARUM

INDEX RERUM

PAG.

Praefatio 7

PARS PRIMA.

Summarium doctrinale.

CAPUT I.

Prolegomena de matrimonio rato et non consummato.

§ 1. — Notae historicae 11
§ 2. — Ambitus Pontificiae potestatis 13
§ 3. — Causae ad dispensandum 14

CAPUT II.

Notio consummationis matrimonii.

§ 1. — De fine matrimonii 16
§ 2. — Organa et oeconomia procreationis hominis . . 18
A) Organa generationis ex parte viri . . 18
B) Organa generationis ex parte mulieris . 19
§ 3. — In quonam praecise consistit matrimonii consummatio 21
§ 4. — De fecundatione artificiali 23

Caput III.

De impotentia ad copulam coniugalem.

PAG.

§ 1. — Notio impotentiae 25
§ 2. — Varia genera impotentiae. 38
§ 3. — Variae species impotentiae ex parte viri . . 39
§ 4. — Variae species impotentiae ex parte mulieris . 44

Caput IV.

Probatio inconsummationis.

§ 1. — Duplex probationis obiectum et indoles processus 45
§ 2. — Causae et praecipui casus inconsummationis . 46
§ 3. — Argumenta 48

PARS SECUNDA.

Instructio S. Congregationis de disciplina Sacramentorum de processibus in causis dispensationis super matrimonio rato et non consummato 53

PARS TERTIA.

Causarum specimina.

Specimen primum 119
Specimen secundum. 157
Specimen tertium 197

6 M

DESCLÉE & C.I EDITORI PON
Piazza Grazioli - ROMA



348.412.7
V37
Viscont, Antonius
AUTHOR
Matrimonio Rato et non
TITLE
Consummato, De.